





109.



# MYSTERIUM CARNIS ASSAE,

IN

NOCTE PASCHATIS PRIMA

COMEDENDAE,

AD PRAESRIPTVM DIVINVM,  
*EX O.D. XII, 8, 9.*

---

PRAESEDE

CAROLO HENR. ZEIBICHO,

ARTIVM MAG. ATQVE ORDINIS PHILOSOPHICI  
ASSESSORE,

DIE XX. IV N. M DCCXLII.


IN AUDITORIO MAIORI  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,

DISPUTANDO EXCVTIET

IOANNES FRIDER. GREIBZIGER,  
SERVESTA-ANHALTINVS,  
SS. LL. CVLT.

\*\*\* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \*

VITEMBERGAE,  
PRELO SCHLOMACHIANO.





MYSTERIUM  
CARNIS ASSAE,  
IN NOCTE PASCHATIS PRIMA  
COMEDENDAE.

---

ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.



ignus est profecto, qui inuestigetur curatus, iteratisque expendatur uicibus, cum uirorum etiam crudelissimorum torserit ingenia, locus quispiam insignis, in quo de Seruatorē Optimo, uelut *Paschalis Agni Anima*, (a) loquitur IUSTINVS, cognomento MARTYR. Hic, ubi contra Tryphonem acriter neruoseque disputat, inter oracula complura, quae, uafritia Iudaeorum ac malitia, proscripta queritur e S. Codice, refert particulam quandam illustrem, ab Esra olim, in celebrazione Paschatis Iudaici, cuius mentionem facit Liber ESRAE, (b) recitaram. In hac exhibetur Christus, uerus antitypus Paschalis Agni, adiectis quibusdam, uerius hic non persequendis. Cum enim uerba

A 2

integra

(a) Ita argumentum huius loci effertur in RADVLPHI CUDWORTHI  
*Diss. de Vera Notione Coenae Dom.*

c. II. §. XII. quae, latine uerba, (b) VI. 19. sqq.

a Celeb. MOSHEMIO adiecta est ad calcem System. Intell.

integra legi possint apud IVSTINVM ipsum, compendii causa prima saltem eorum, quae expuncta putat Pater, quibusque maximum inest pondus, iam subiecta sunt: Καὶ ἐπει ἔσθεας τῷ λαῷ τότο πασχά ο σωτῆρ ήμων, καὶ η καταφτή ήμων.  
*Et dixit Esra: HOC PASCHA SERVATOR NOSTER EST, ET REFVGIVM NOSTRVM.* (c) Haec et sequentia uerba, uti citantur a IVSTINO, sermone redditu Latino, legis etiam apud LACTANTIVM, (d) qui tamen, solum in Esra ea scripta esse, pronunciat, non addit, utrum sint erasa, neque mentionem iniciit IVSTINI. Est igitur commemorabilis maxime hic locus, et excusione dignissimus; sed difficultatibus etiam, haud minimis, laborat. Quapropter non miramur, si nihil, nisi, quod prodita haec reliquerit IVSTINVS, definire videamus CHRISTOPH. CELLARIVM, (e) PAVL. COLOMESIVM, (f) itemque JOSEPH. ISAEVM, (g) quorum ultimus locum apud LACTANTIVM dicit *insignem, quem nunc non habeamus*, addit testimonium IVSTINI, praeteraque nihil. Quid igitur hic dicendum? Proscriptam e Codice sacro hanc docet portionem IVSTINVS, itaque, antea extitisse ibi, necesse est. Si, nullum proferri Codicem a Patre hoc, obiicis, respondemus, hoc non permittere institutum eius, ubi strictum disputat de singulis, unique argumento continuo subiicit alterum: neque etiam in numerato omnes omnino habere eum potuisse Codices. Itaque fides ipsi habenda sine controversia est, cum disputet cum Tryphone, qui sine fundamento obiecta refellere confessim poterat atque eludere. Innixi iam in fide IVSTINI, obseruemus, loqui eum non de Hebraicis Codicibus, sed de Graecis, ideoque non tam Iudeorum, quam Christianorum, manibus tritis, ut recte etiam notat IO. ALB. FABRICIVS. (h) In Codice igitur Hebraeo haec extiterunt nunquam, quia exinde, neque in Versionibus veteribus, neque in aliorum Doctorum Ecclesiae scriptis, exhibentur. Quodsi autem extitissent ibi, Iudeos haud ausuros fuisse, existimandum est, tantum committere facinus in Codicem suum, cuius auctoritas sacrosancta ipsis erat. Detorquere quidem, ut solent, potuissent in sensu longe aliud, qui ab explicatione abhorreat Christianorum, non expungere. Atque hac ratione haec legit IVSTINVS, non in Codicibus Hebreis,

(c) *Dial. cum Tryphone*, O.O. p. 297. (f) *Obseru. Sacr. p. 16. in O.O. ex edit. sq.*

(d) *Divin. Institut. L. IV. c. XVIII.*

(e) *ad loc. cit. LACTANT.*

FABRICII, p. 590.

(g) *Annot. ad loc. LACTANT. p. 333.*

(h) *Cod. Pseudepigr. V. T. T. I. p. 112.*

Hebraicis, sed Graecis. Ex quo factum est, ut quidam, uel ipsum *Apostolum* eam respectare, crediderint, pericopam, quando dicit: *i) τὸ Πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη, χριστός.* Ita COLOMESIO (*k*) uisum. At recte ait FABRICIVS, (*l*) *non constare, locum hunc IUSTINI ab Apostolo lectum fuisse unquam.* Et uidetur porius additamentum in Esra ex collato hoc et a scripto loco arcessendum, quam contrarium afferendum, uti haud inconcinnne coniicit STEPH. LE MOYNE. (*m*) Quando autem LACTANTIVS, Latinae Pater Ecclesiae, eadem producit uerba, uel eum inuenisse illa, putandum est, in Codd. quibusdam *Latinis*, uel accepisse a IUSTINO, omissis ipsius querelis erga Iudeos, corruptores. Dubitandum iam non est, adiuuisse uere in Codd. quibusdam particulam insignem, si non in *Latinis*, tamen in *Graecis*. Atque horum Codicium iam *seculo II. et III.* extitisse nonnullos, cum loco integro, iis inserto, Idem ostendit LE MOYNE. (*n*) Interim, ipse quaestio[n]is cardo uertitur in eo: Vnde eos in Codices, et a quibus, uerba, Esrae tributa, fuerint intrusa? Non uidetur spernenda sententia IO. ALB. FABRICII, loco adducto existimantis, eosdem illos, qui Psalmi (*o*) uerbis: *Domini regnauit, addiderint ἀπὸ τῆς Σύλλας,* quae non apparent in Hebreao, pluraque alia accessionibus quibusdam adauxerint oracula, hanc etiam particulam, ex *Apocrypho* quodam libro decerptam, assuisse Textui Esrae. Sed conferamus etiam sententiam STEPHANI LE MOYNE, (*p*) qui aeque generatim de Auctoribus differit ac FABRICIVS, sed simul affert alia, non inconuenientia, de ratione huius pericopae insertae. Docet enim, Christianos ipsos non *quinq[ue] uersus* de Paschate, apud Esram, legisse tantum in Festo hoc, sed *lectionem* fuisse multo *auctiorem*, per plures accessiones, neque Hebreao Texui, neque etiam uersioni Graecae generatim, sed *Codicibus* saltē quibusdam *Graecis*, imo et *Latinis*, intextas, quas adiectas esse, colligit, ad *lectionem Paschalem*, a Christianis, non fraude, non prauo consilio, sed ad maiorem solennitatis, Christum respicientis, explicationem. Pergit, occasionem dedisse ad haec forsitan, praeter locum Paulinum, etiam illud ex *PARIPOMENIS*, (*q*) ubi, in enarratione Paschatis, occurrit *Ιωνία συγγραφής.*

A 3

*(i) I. CORINTH. V. 7.**(n) I. c. p. 955.**(k) I. c. p. 16.**(o) PS. XCVI. 10.**(l) I. c. p. 1152.**(p) I. c.**(m) Not. ad Hippolyti Serm. contra**(q) II. PARALIP. XXX. 22.**Graecos, Var. Sacr. T. II. p. 953.*

Haec additamenta margini Codicum quorundam dicit sociata, postea, in descriptione Codicium, ab amanuensibus, non satis cautis, intrusa in ipsum Bibliorum Textum. Inde Patres, IVSTINVM et LACTANTIVM, ex loco hoc disputasse, uelut ex fonte genuino. Lecta etiam haec, afferit, tempore Hippolyti, qui non diu post IVSTINVM uixit, aetatem uero LACTANTII pluribus annis superauit. Indeque illustrat *Canonem* quendam *Pashalem*, monumentum antiquitatis longe praestantissimum, Romae MDL<sup>4</sup>. in aede Laurentiana effossum, exhibens Statuam Marmoream, cum Cathedra et Inscriptiōnibus, ad hunc spectantibus, ut ipsi uidetur, *Hippolytum*, huiusque honori dicatis. Mitto alia, quae legantur apud ipsum Virum Doctissimum. Ut tamen aliquid habeamus de auctōribus facti, tam commemorabilis, conferenda est sententia sagacissimi rerum difficillimarum Inuestigatoris, literarumque elegantiorum Vindicis egregii, quem honoris causa nominamus, Summe Reuerendi 10. LAVR. MOSHEMI<sup>1</sup>, quam, in uberrimis in CVDWORTHVM Commentariis, (r) tulit. Cum enim ipse CVDWORTHVS, qui hunc citat IVSTINI locum, haud aperuerit, quid sentiat, tanto audijs mens rerum harum tam intelligentis Arbitri capienda est. Ut autem ipsius potius, quam meis verbis: *Ego longe putem uerisimilius, in libro Esiae hanc minquam orationem fuisse lectam, sed Iudeum aliquem Alexandrinum, qui Christianam amplexus erat religionem, inconsulto quodam erga hanc studio, eam in Codicem quendam intrusisse, quo facilius ciuium suorum pertinaciam flechteret.* Constat inter eruditos, Iudeos, Alexandriae degentes, religiosis eiusmodi fraudibus uti non fuisse ueritos, etiam ante religionem Christianam introductam, et perniciosa hanc pro ueritate mentendi consuetudinem ab his et Platonicis ad Christianos transisse. Hactenus MOSHEMIVS. In quibus omnino acquisendum esse, duco, cum difficultas huiusmodi in rebus sepe offerat tanta, ut coniecturis uti tantum licet, non argumentis. Superest tamen, ubi de auctōribus additamenti, in Textum illati, eruditorum sententias produxi, ut, quibus proscriptio debeatur et expunctio, inquiratur, cum de hac IVSTINVS fuerit conquestus. LE MOYNE Iudeis tribuere eam non dubitat, praecipue, quod uiderint, ueriones Graecas, ab Hebraeo Textu discedentes, auctas et foetas uariis appendicibus, ad usum Christianorum. Quod impossibile tamen putat FABRI-

CIVS.

(r) ad l. c. Dissertationis CVDWORTE.

IN NOCTE PASCHATIS PRIMA COMEDENDAE.

CIVS. Sed ipse FABRICIVS hac de re afferit nihil, nihil etiam CUDWORTHVS, ipseque MOSHEMIVS. Interim, si quid recti sentimus, hoc forsan erit. IVSTINVS M. laciniam hanc pro tali habuit, quae in omnibus apparere debeat Codicibus. Quam cum ibi non inuenierit, accusat corruptionis Iudeos. Sed in hoc labitur pius et eruditus Pater. Non enim quaerere in omnibus Exemplaribus eam debebat, sed in iis tantum, in quibus, amanuensium Iapsu, ex margine alicuius Codicis fuerat in Textum illata, quod uero factum erat in paucis, Graecis uidelicet, cum de Latinis forsan dubitandum sit. Ipse ergo Tryphon hoc negat, ac dicit impossibile, nam talem Codicem non uiderat. Ergo a quibusdam addita quidem haec uerba sunt, a nullo uero expuncta. Si autem eos desideres Codices, in quibus legit IVSTINVS, hos, a tanto spatio temporum, intercidisse, haudquam dubitandum uidetur. Vnde et hic IVSTINI locum egregium dimittimus, cuius tamen uerborum ueritatem diuinae euincunt literae, quando de Christo, uera Paschalis Agni Anima, plura inuidissimaque suggerunt argumenta, intuentes in eum, uelut in agnum ἀμωμον καὶ ἀσπιλον, (s) ad lanienam duellum, (t) ac denique ἑρφαγυλενον; (u) in sanguinem uero Messiae, tanquam in αἷμα ἄγνωστον. (x) Et certe, tametsi multi sint ritus, in Agno Paschali maestando et parando, a Deo praescripti, paucissimi tamen erunt, qui non sublimiorem includant sensum. Quid enim sibi uult custodia Agni in Urbe? quid tempus uespertinum? quid maestatio et effusio sanguinis? quid aspergio? quid denique ipsa, in Veru, Affixio et Affatio? quae et alia plene non intelliguntur, nisi, respectu habito ad Messiam. De ritu postremo igitur cum quedam disputanda iam sint ad Legem Diuinam, in Paschatis institutione promulgaram, (y) praesidio Numinis testi, ad propositum ueniamus.

- (s) I. PETR. I. 19. add. EXOD. XII. 5.  
(t) IES. LIII. 7. (u) APOCAL. V. 6.  
(x) APOCAL. VII. 14.  
(y) EXOD. XII. 8. 9.



§. I.

## §. I.



t, qua ratione apparari, uelit, Paschalis Agni carnem, distinctius doceat Legislator Supremus, segregat quae-  
dam, quae abesse a conuiuio, tam solenni, cupit.  
Ac primo quidem, ab ea abhorrendum esse, monet,  
carne, quae **N** vocatur Hebraicis. Nemo est, lite-  
rarum Hebraearum tam leui cognitione tintus, quin, uocem **N** in  
significatione sumi communiter, sciat, particulae, interdum nunc notan-  
tis, plerumque uero *obsecrandi*, uel *optandi*, sensu praeditae. z) At,  
parum uideat, necesse est, qui hanc, in oraculo nostro, uim esse tri-  
buendam uoci, serio asseuerare uelit. Namque hic particulae notionem  
habere nequit, sed *nominis* eiusmodi nota est, quod carni competat,  
hoc est, Grammaticorum si utare stilo, *adiectivi*. Est autem, hoc in  
sensu, uox ἀπαξ λεγομένη, ut Concordantias adeunti innoteſcit, eo-  
que plus difficultatis habet. Hinc, in uera euoluenda significatione, si  
dilectare uideas eruditos, demirari noli. Interim afferendum aliquid,  
quod textui, et materiae, de qua dicitur, conueniat. Singularis  
profecto opinio est, quae in mentem uenit OLEASTRO. Huic cum  
minus uideretur commoda aliorum interpretatio omnium, ipse, surro-  
gata alia, a Radice **N** arcessit nomen. Notat autem illa Hebraicis  
*frangere, dissecare*. Inde caro **N** ipsi est *diniſa, fracta, disiecta in*  
*frusta*. Sed, quis non perspicit, exinde dimanare ea, quae aliquid  
omnino secum ferant incommodi. Ex mente enim huius uiri praec-  
cepit Legislator, Agnum non *edendum* esse *disiectum*, quasi sermo esset  
non de praeparatione ad edendum, sed de ipso edendi actu. Quomodo  
uero uel fingendo assequeris, agnum quandam consumi posse integrum,  
non diuisum, nec disiectum, nisi ore gaudeas Cyclopicō, homines ac  
uerueces deglutiente, ut ex historia conflat Ulyssis. Loquitur Deus  
infra, quod non negamus, de integri agni assatione, hic uero, quod  
ex **לְבָנָה** intelligis, de esu ipso, qui fieri nequit, sine praeuia dissectione  
et separatione. Ita occurruunt OLEASTRO, cum SAM. BOCHAR-  
TO, (a) ANDR. RIVETVS, (b) et IO. SPENCERV. (c) Interim  
habet

(z) Vid. CHRIST. KOERBERI Lexic.

Partic. Hebr. p. 82. IAC. GVSSE-

TII Comment. L. Hebr. p. 486. sq.

SAL. GLASS. Philol. S. L. III.

Trad. VIII. Can. I.

(a) Hierozoic. T. I. fol. 594.

(b) Comment. in Exod. OO. T. I. p. 892.

(c) de Leg. Hebr. Ritual. L.II. c.IV. p. 237.

habet ille opinionis suae socios; nam, ante hunc, eadem arrisit explicatio Iudeorum nonnullis, quos producit ABEN ESRA. Et, parum abest, quin eorum in sententiam ingrediatur quiuis, qui, idem sentire, intellexerit, uel ipsum sagacissimum Francogallum, IAC. GVSSETIVM, (d) quibusdam rationibus nixum. Partim enim nullam, inter crudum et obsecrationem, affinitatem uidet; partim inconueniens putat, nouam introducere uelle significationem, radice destitutam. Vbi tamen continuo respondeatur: ad rationem primam, affinitatem desiderari haud debere, cum crudi sensus nitatur non significatu particulae, *quaesō*, sed radicis Arabicae, unde nomen נָא arcessitur; ad alteram, nouam significationem ideo introducendam, quia uox haec, in forma nominis spectata, ἀπαξ λεγομένη est: eam tamen non carere radice, quae quidem Arabica iam est, olim uero, et in usu suo primo, uere Ebraica fuit, uti, de ceteris Arabum radicibus, existimari constat. Spreta igitur notione *disecti*, exquirienda est alia. At, unde? si adeamus Interpretes, complures significatum *crudū* huic vindicare dictioni, animaduertimus, qui quidem non prorsus sunt abiiciendi, non tamen audiendi, nisi sobrie mentem explicantes. Pro *cruda carne* נָא acceperunt Metaphraſtæ, qui saepenumero sunt Paraphraſtæ, antiquiores. Ita enim ALEXANDRINI ωὐὸν transferunt, de quo uocabulo monet HENR. STEPHANVS, (e) quod de fructibus, de cibis ac morbis, dici soleat; cum tamen primo statim loco ωὐὸν carnem dicat *crudam*, neque assam, neque elixam, idem nomen et hic quo minus hoc modo accipiatur, quid impedit? Accedit ONKELOS: בְּרִיּהַ cum *uina* est; PSEVDO-IONATHAN similiter. Ita et SYRVS: بَرْتَنْ ut *nīnam*. Iam autem *caro uina*, stilo Scripturae, non est ea, quae pleno sanguinis gaudet circulo, musculos, uenas ac uasa cetera percurrente, uitamque animalis sustinente; sed, quae, effuso licet sanguine, cibo tamen hominis haud inseruit, nisi bene praeparata. Euoluatur locus clarissimus, ubi בְּשֵׂרְבָּרִיּהַ *caro uina* dicitur ea, quae nondum est affa. (f) Profecto autem nimis crude haec acciperet, qui uoculam נָא per notionem *crudū*, h. e. plane non cocti, interpretaretur. Carnem enim, plane crudam, prohibere Deus hic non potuit, partim ideo, quia etiam speciali deficiente interdicto, instar leonum, carnes animantium, palpitantes

## B

pitantes

(d) *I. c. p. 487.*(e) *Theſaur. L. Graec. T. IV. col. 778.*(f) *I. SAM. II. 15.*

pitantes adhuc, et calore quasi uitali ac nativo gaudentes, haud deuorare poterant Iudei, cum Cyclopicum uideretur, gentiumque moribus plane affine: partim, quia Lex promulgata iam tum fuerat de non comedenda carne *cum anima*, sive, *cum sanguine*, (g) quam Iudei, uti perpetuo, sic etiam, Agni Paschalis cum agerent conviuas, obseruare cogebantur. Quid igitur hic sit dicendum, iamiam aperiemus paucis.

### §. II.

**V**ecebantur, in prima institutione, Paschali Agno profecturi, a qui-  
bus, ut cito ac celériter cibus hic pararetur, curandum erat. Quia  
igitur uerendum uidebatur, ne forte, festinatione compulsi, carnem  
edant, parum coctam, sed leuiori paulo cura paratam, necessarium  
maxime erat mandatum, de non comedenda carne Agni **NJ**; unde  
cognoscitur, **NJ** non esse plane crudam carnem, sed *semicoctam*, *semi-*  
*assan*. Comprehendit igitur sub se caro **NJ** duas illas carnis imperfe-  
ctae species, quas profert ARISTOTELES, (b) quarum altera dicitur  
*μόλυνσις*, ubi caro manet *ημιέφθη*, *semicocta*, et opponitur *ἔψησι*,  
*elixitioni*, altera *σάτερνος*, in qua caro est *ημιόπτη*, *semiaffa*, quaeque  
opponitur *ἐπτήσει*, *assassini*. Vtramque, inquam, latere putandum est,  
sub **NJ**, cum per hanc indicetur caro, quae ignem quidem sensit, sed  
non ita persensit, ut ad cibum hominis idonea sit, quin potius imper-  
fecte est parata, sive id factum per ignem, in assatione, sive per aquam,  
in elixatione. Huius generis carnes, imperfecte coctas, habes in hi-  
storia filiorum Eli, qui immoderata adacti ingluvie, in eas irruebant, e  
lebetibus, ahenis et cacabis, fuscina tridente extrahendas. (i) Hanc uocis  
**NJ** significationem non tantum probat lingua *Arabica*, ubi nomen  
idem, cum radice Ebraea, iam desperdita, haud dissimili sensu compa-  
ret, quod ex CAMO, GIAVHARIO, aliis, probat GOLIVS, atque inde  
SAM. BOCHARTVS, (k) cum quo comparetur IO. HENR. HOTTIN-  
GERVS, (l) qui obseruat, ex *Arabico* sermone arcessi nomen **NJ** a  
RASCHIO et ABEN ESRA, unde idem retineat, in huius dicti trans-  
latione *Arabica*, IBN-SINA: Sed ipsi etiam Interpretes et Commenta-  
tores, cum Hebraeorum, rum Christianorum, eam corroborant uim uo-  
cis. Ex illis TARGVM HIEROSOL. **NJ** uerit בְּמִקְדָּשׁ, quod interdum  
quidem

(g) GENES. IX. 4.

(b) Meteor. L. IV. c. III.

(i) I. SAM. II. 13.

(k) Hieroz. T. I. col. 594, 595.

(l) Analect. Histor. Theol. p. 146. add.  
EIVSD. Ius Hebraeor. p. 23.

quidem redditur *tostum*, *assum*, at hoc loco *semiassum*, *ustulatum*, *semicoctum*, quo sensu in *Aruch*, *Elias*, itemque in Edit. *Pentateuchi* cuiusdam cum triplici *Targum*, occurrere, docuit 10. **BVXTORFIUS.** (m) Adde **RASCHIVM**: **שׁאינו צלי כל צרכו** (caro) *quaes non affa est ad necessitatem.* **POMARIVM**: **בלתי אפיו בשלמות**: *Audi distinctius uocem explicantes Hebraeos, carnem να uocantes, הבשר שהחילה בו מעשה האור ונצלת המעט ואין ראוי לאכילת אורם Carnem, quam effecit quidem ignis, quaeque paululum est tosta, nondum tamen apta esui hominis.* Lege haec apud **MAIMONIDEM** (n) et **R. LEVI BARZELONITAM.** (o) Subscriptibit *Translatorum Hebraeo-Germanicorum* uterque, **IEKVTHIEL**: *Halb gar gebraten, 10. ATHIAS: Halb gebraten. Praeter Hebraeos, ex Christianis notant LYRA et STEVCHVS, in Hebraeo esse semicoctum, apud CHRISTOPH. CARTWRIGHTVM, (p) ubi ipse tamen labitur CARTWRIGHTVS, dum, quomodo, eorum ex mente, illud adsit in Textu, haud perspicit, et sua in uersione crudum ponit. Bene etiam 10. CLERICVS, (q) ex suo tamen quedam addens: Videntur intelligi carnes leuiter in craticula tostae, quemadmodum hodieque costae agnorum torrentur.* Adde **ANDR. RIVETVM**, (r) qui transtulit *carnem semiococtam, non satis assatam, indigestam*, his adiectis: *Nos Galli saepe dicimus, carnes crudas esse, quae non sunt satis coctae. Si igitur, ut appareret ex hac tenus dictis, caro cruda non interdicitur, opposita haec lex esse nequit iis, qui cruda delectantur. Ex quo collabascit opinio 10. SPENCERI, (s) Viri cruditi, sed sua abusi eruditione. Vbi enim hic prohiberi, uidet, carnem να, continuo, laudatis uersioribus antiquioribus, supra reiectis, illam interpretatur per crudam, easque respici gentes, existimat, quae olim, ore cruento, crudas animantium carnes, cruda membra et viscera, desiderio incredibili, appetierint dilanianda, testibus 1VL FIRMICO, EVRIPIDE, PLVTARCHO, ipso etiam MAIMONIDE. Quod uel in Festis gentium legimus actum, unde ἀμοφάγια, Cruditura, in Bacchi honorem acta, apud ARNOBIVM, CLEMENTEM, PRUDENTIVM, ex quibus de iis differit 10. MEVRSIUS.* (t) Sed audiamus SPENCERVUM: *Si in tantis tenebris boscere liceret, dicerem, Deum carnem crudam a Paschatis ritibus praecepto*

(m) Lex. Talmud, col. 589.

(n) De Paschate, c. VIII. §. 6.

(o) Ap. HOTTING. de Iure Hebr. p. 23.

(p) Eleazar Targum, Rabb. in Exod. p. 119.

(g) Comment. in Exodus, p. 51.

(r) Comment. in Exodus, OO. T.I. p. 892.

(s) l. e. p. 238.

(t) in Graecia Fer. p. 282. sq.

cepto speciali remouisse, quod usus carnis disceptae, et sanguine recenti horridae, in Daemonis festis et ritibus foederalibus plurimum olim iniurievat. Quanquam autem haec latius disputat Vir eruditus, copiosius tamen a nobis persequenda ea non sunt, cum de praecepte exponamus affirmatio, negativa paucis attingamus. Interim conferantur, quae, rationibus sat idoneis, Cel. PETR. ZORNIUS (u) contra hunc differuit.

### §. III.

Praeter carnem, non plene perfecteque coctam, uel assam, interdicitur et ea, quae est בshell במים coquendo cocta in aquis. Radix hic apparent בshell, de qua haud inficiamur, quod, simpliciter posita, saepenumero coctionem indicet, in aquis factam. Hoc enim sensu legitur de cocta sacrificiorum carne, (x) de Man, in lebetibus cocto, (y) de infantibus, in obsidione Hierosolymorum a matribus coctis, (z) de coctione, in Sabbatho intermittenda, (a) de pulmento cocto, (b) de coctione in aheno, N. T. tempore expectanda: (c) unde postea maturessere denotat, ac transfertur ad messem maturam, (d) atque ad botros maturos, (e) solis calore coctos, uelut aetu ignis coquuntur cibi. Ideo tamen non perpetuum hunc dicimus significatum et constantem, qui non mutari possit, adiecta uoce alia. Est igitur בshell frequentius idem, quod, parare cibos, ut possint comedи, quounque id fiat modo. Et duplex sic admittenda est coctio; alia uero coctio ad ignem, quae conuenit cum assatione; alia uero coctio in aquis, hoc est, elixatio. Profecto Rad. de ipso Agno Paschali, tempore Regis Iosiae apparato, legitur. (f) Verba sunt: יוכשלו חפסח נאש בshell בshell במים coctio ad ignem, Et coixerunt Agnum Paschalem igne. Falleris, si hic intelligis coctionem in aqua, cum oblet partim dictio נאש, discretiva, partim, praeceptum de assanda duntaxat carne Agni. Accedit, quod sic confessim distinguatur a reliqua sacrificiorum carne, quae coquenda erat non igne, sed בshell בשרות וכברודים ובצלהות in ollis, in lebetibus, atque in ahens. Vnde explicanda iterum sunt uerba ea, quibus Deus Agnum Paschalem coctum deside.

- (u) Biblioeb. Antiq. et Exeget. p. 928. (a) EXOD. XVI. 23.  
931. (b) II. SAM. XIII. 8.
- (x) EXOD. XIX. 3t. EZECH. XLVI. 20, 24. (c) ZACH. IV. 21.
- LEV. VIII. 3t. (d) IOEL. IV. 13.
- (y) NUMER. XI. 8. (e) GENÈS. XL. 10.
- (z) THREN. IV. 10. (f) II. PARAL. XXXV. 13.

desiderat, mandato clarissimo, וּבָשְׂרַת et coques, (g) ubi non cogitandum est de coctione in aquis, licet neque שָׁנָה adiiciatur, neque מִתְמַסֵּד sed de coctione ad ignem, quae iam superiori pracepto distincte fuerat tradita, quod hic uult, repeti, Deus. Ais uero, tam coctum, quam assūm, ab igne, tanquam causa efficiente, proficisci. Recte quidem; ibi tamen ignis operatur mediate, per feruentem leberem, indeque aestuantem aquam, hic uero immediate, nullo intercedente medio alio. Ergo coctio in aquis est ueri nominis coctio, sive elixatio, quae non tam ex uerbo בָשֶׁל, quam ex discretuō vocabulo מִסְבֵּח, intelligi debet. Textum Hebraeum secutus est Targumista, ONKELOS, iisdem retentis uerbis, ad genium saltem Chaldaicum flexis. Conuenit cum hoc interpres SYRVS. Solus PSEUDO-IONATHAN, qui fabulis, nūgis Kabbalisticis, et singularibus indulget opinionibus, nouam profert interpretationem, uidelicet, edendum esse agnum, לֹא כְּדָבָר בְּשָׁלָה וּמִשְׁחָה וּשְׁקִינָה רְאָה מִכְשָׁל בְּמַיִּין Neque, quando coquitur in uino, uel oleo, uel liquore: (alio:) neque, quando coquitur in aquis. Verum, praetermittamus et haec, quee ad coctionem attinent, atque ad praecceptum accedamus affirmatiuum, quod quo studiosius fuerimus prosecuti, tanto facilius, cur huic propositum prolata interdicantur, assequemur.

## §. IV.

**A**b his igitur, de quibus diximus, carnium generibus cum abstinentium sit, nullum remanet, praeter Carnem Assum. Atque haec est cardina, quam Deus, Legislator, prescribit, quaeque sola עֲשֵׂה assūt, nūncupari potest. Nemo est, qui, Hebraicis assandi usurpari sensu, nesciat. Verbum enim hoc, tametsi in Codice V. T. non legatur frequentius, significatum tamen, sicubi occurrit, certum habet et determinatum. Quem plane etiam confirmant Versiones Interpretum veterum. Ex his ἡ ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΑ reddunt: ἐπιτά πυρί. ONKELOS: טוֹ נָרָה quod eodem sensu, uerbo saltem loco nominis adhibito, legitur in Cod. GITTIN: נְתִיָּה בְּנֹרָה asset illud igne. (b) A Chaldaeis uerbum suum עֲשֵׂה accepit SYRVS, in loci huius translatione: assām (carnem) per ignem. Hanc, carnem assandi animantium, consuetudinem apud Hebreos longe fuisse receptissimam, facile probauerim. De Carnibus Assis, quas, insigni flagi-

B 3

no,

(g) DEV. XVI. 7.

(b) BVXT. Lex. Talmud. col. 86e.

tio, petebant, pro sacerdote, filii Eli, locus est clarissimus, (*i*) ad quem, quae notat 10. CLERICVS, (*k*) conferantur. Pertinebat autem hic mos non ad carnes solum animalium maiorum, ouium puta, uitulorum, ueruecum, agnorum, hoedorum, caprarum, sed ipsorum etiam piscium. Vnde in TALMVDE: (*l*) צְלִין רַגְבָּם עַל אַסְכָּרָא *Affant pisces super craticula.* In ipsa etiam historia Euangelistarum, Christo, post resurrectionem, ἵχθυος ὄπταζ μέρος (*m*) legitur oblatum, una cum fauo, pulmenti loco addito, quibus ille uescubatur secunduna τῷ edere potentiae, non indigentiae, ut loqui amant Theologi. Eosdem *piscis affos* offendimus in libro TOBIAE, (*n*) in historia piscis, e Tigride extracti in ripam. Hic enim secatur in frusta; Partes quaedam *affantur*, ceterae saliuntur, seruatae in profectionem, ut uersio docet LVATHERI. Cui tamen textus aduersatur Graecus, qui saliturae haud meminit, sed tantum *piscis affi*, ante iter suscepturn consumuti: τὸν δὲ ἵχθυν ὄπταζ σαρτες ἔφαγον, subiuncta statim profectione. Quac lis quomodo componi debeat, ostendendum est alibi. Ceterum, quaeri poterat, quibus ex causis uerbo תְּלִין, cui simpliciter spectato, *affandi* inest significatus, in lege diuina societur nomen ψΝ, uelut superuacaneum. Ad quam tamen quaestionem quae pertinent, in sequentibus expedientur.

## §. V.

Ipsum iam affandi Agni rationem ut perspiciamus ordine, age, quae-nam praecellerint, hoc est, *praeparationem*, persequamur pau-cis. Sunt autem sequentia. Emtus in Paschale epulum Agnus, integer, masculus, aetatis praecriptae, seruabatur, ex mandato legis, per septem dies, usque ad παρεσκευὴν Festi Paschatis, stricte sic dictam. Hora de-finita inter duas uesperas ruente, humeris impositus, a patrefamilias ad Templi ferebatur Atrium Interius, cuius parietes, in honorem tantae celebritatis, multis ac diuersorum colorum tapetis exornabantur. Ob insignem Israelitarum accendentium multitudinem, cum intromitti omnes una non possent, in duo diuidebantur agmina, quorum unum introibat post alterum. Oblato igitur, pro consuetudine, uespertino agno, primum ingrediebatur agmen in Atrium, ubi conspiciebantur stantes

(*i*) I. SAM. II. 15.(*k*) Comment. in Libb. Samuel. p. 183.(*l*) Cod. PESACHIM Mischn. c. I. §. 9.(*m*) LVC. XXIV. 42.(*n*) VI. 7.

stantes in serie Sacerdotes, cum peluibus aureis atque argenteis, ad sanguinem excipiendum. Afferebat primus Israelitarum Agnum suum, **בְּשָׂם** *sub nomine Agni Paschalis*, eundemque, examinatus a Sacerdote, an sine macula sit pecus, maestabat inter duas uesperas, cultro illo, qui ante Sabbathum in Atrio deponi solebat. Maestationem peragebat ipse Agni Dominus, Sacerdotum uero erat, excipere sanguinem. In hoc maestationis negotio canebar Hallel, in eoque Messias ipse, pro reatu generis humani, sacro hoc Paschali tempore, aliquando enecandus. Transacta maestatione, accedebant ceteri, maestatum uero Agnum paterfamilias deferebat ad columnam Arrii. Eo delatum suspendebat de uncino uel columnae, uel parietum Atrii, uel etiam, si hi non sufficerent, de baculo, humeris Domini atque alicuius ex sociis imposito. Nudabatur Agnus, et, drecto corio uentreque dissecto, extrahebatur adeps, qui confessim dabatur Sacerdoti, ut, sale conditum, rite offerret in altari, atque adulceret igne, ibidem ardente. Hoc facto, paterfamilias Agnum, circumuoluta pelle, deportabat, ex Atrio et monte Templi, ipsam in urbem ac domum suam. Extrahebantur intestina, cor, iecur, et cetera. Abstergabantur sordes, Agni integri, per lotionem. Quibus omnibus ordine peractis, nihil supererat, quam, ut cum Agno ipso, rite parato, properarent ad Assationem. Confirmo praecipua ex his paucis uerbis MAIMONIDIS:

**רַב הַפָּסָח טוֹעֵן שְׁכִיכָה כְּנָגָר וְחִסּוֹד וְאַחֲרֵךְ** (o) **שְׁשׁוּפְכִין רַמּוֹ מְפַשִּׁיטָן אֶת קָרְעֵן אֶת בְּטָנוֹ וּמוֹצָאוֹן אֶת אַמְרוֹן וּמְקַטְּרוֹן אֶת חַלְבָּן כָּל זְבַח וּבָכָה לְבָבוֹ וּבְעַל הַחַח נְטוּל פְּסָחוֹן**

**עַם הַעֲרָר שָׁלוֹ וּמִכּוֹתָה לִירוֹשָׁלָם וְאַלְהָוּ וְאַכְּרוּ לְעָרָבָה:**

Sanguis Paschatis effundendus est ad basim. (altaris). Sanguine effuso, exiunt illud pelle, diffundunt uentreum eius, et educunt exta, eorumque adolent adipes, sacrificii iniusticiisque seorsim. Dominus uero sacrificii accipit Pascha suum cum pelle, et, deportatum Hierosolymam, assat atque consumit uespere. At latius haec deducta inuestigare eupintibus, praeter TH. DASSOVIVM, in Antiquit. Hebraicis, adeundi sunt 10. LIGHTFOOT, (p) 10. LVNDIVS, (q) et ceteri, qui de Solennitate Paschatis enucleatus exposuerunt.

### §. VI.

Pertinet ad hanc praeparationem in primis quaestio: Vtrum Oleo etiam, ante affixionem, in ueru factam, illinere Agnum consueuerint Israe-

(o) *De Paschate*, c. I. §. 6.

(p) OO. T. II. p. 376.

(q) *Iud. Heiligtb.* p. 987. sqq.

Israelite? Hanc generatim, sed paucis, affirmat TH. DASSOVIVS, (r) et *Oleo*, pronuncians, et *Vino*,unctionem potuisse institui. Distincte tamen loquendum hic esse, nos edocet MISCHNA, (s) afferens, si Paschate uescatur חֲבָרַת כְּהֻנָּה *societas Sacerdotum*, ungendum esse Agnum, Oleo oblationis primae, sin sit בְּשֵׂמֶן שֶׁל מִעְשָׂר שֶׁן *societas Israelitarum*, h.e. plebis, lauandum quidem esse tantum et assandum, nihilo tamen minus posse ungi, sed Oleo decimarum secundarum. Disputat, hac de re, ex loco quodam MAIMONIDIS, IO. LVNDIVS, (t) atque ungi potuisse, dicit, Agnum etiam posteriorem sive Israelitarum, oleo accepto a decimis, subiecta simul farina triticea, ita tamen, ut, si aliquid destillauerit ex oleo in farinam, massa illa, ex oleo et farina conflata, fuerit abiicienda. Commentantur in Mischnae uerba et BARTENORA, et MAIMONIDES, simul obseruantes, aquis etiam fructuum, ac liquoribus, licuisse illinere et conspergere Agnum. Quae autem singularia sunt, cum communiter fieret Oleo, quod, copiose proueniens in Terra Sancta, (u) per mortaria, molas, prela, exprimitur, tam ex nucibus, cucumeribus agrestibus, sesamo, fructu Kiki, quam praecipue ex Oliuis, quas Mons suppeditabat Oliuifer, Hierosolymis adiacens, praeter hunc maxime urbs Thekoua, itemque Trans-Iordanensis illa, Ragab, unde illius urbis oleum habebatur nobilissimum, huius priori proximum. (x) Videmus, ad quaestionem illam, ductu Mischnae, nil respondendum esse, nisi hoc, ab una parte unctionem fuisse iniunctam, ab altera non prohibitam.

### §. VII.

Iam ipse tradendus est modus, in assando Agno, ex moribus institutis que Hebraeorum, obseruatus. Cum enim, quod neminem nostrum fugit, carnes parari assae queant ratione non simplici, in Sartagine, in Craticula, in Veru, quid tandem pronunciandum fuerit de carne Agni, quaeri potest. In Vase metallico, itemque in lapideo, potuisse torri nonnunquam, largitur IO. LVNDIVS, (y) qui tamen non solum, Veru communiter submonet, fuisse adhibitum, sed etiam, nullius licet, ex Hebreis, innixus testimonio, Vas tum demum dicit legitimum, si plenum

(r) Antiqq. Hebr. cap. V. p. 70.

(u) Vid. DEUTER. XXVIII. 14.  
XXXII. 24.

(s) Cod. Pesachim, c. VII. §. 3.

(x) Cod. MENACHOTH, Cap. VIII. §. 3.

(t) I. c. p. 993.

(y) Iud. Heiligtb. p. 992.

plenum fuerit rimarum, plenum foraminiū, quo uis ignis undique ad ipsam aduolare potuerit carnem. Sed, queritur de *Craticula*, utrum haec pro instrumento habenda sit legitimo? Audias, hac de re, interdictum MISCHNAE, (z) non assandum esse Agnum עַל הַאֲכָלָא super CRATICULA; quae uox Talmudica corrupta est ex Graeca, ἑράκλης, uel ἑράκλις, mutato, more Iudeorum, ε in ל, secundum BVXTORFIVM. (a) Hac designant alias *Scalam*, unde, cum ad graduum illius figuram accedat *Craticula*, in hanc, ex obseruatione Hebraeorum, significationem postea transiit. Mirum est, Iudeum, R. DAV. COHEN DE LARA, in libro, ubi uoces *Graecas* ac *peregrinas* alias, ab Hebraicis receptas, congegit, (b) producere nomen אַסְכָּלָא, uerum, sine origine Graeca, sine praesenti etiam notione, et tantum transferre per *Scalam*, sigillatim nauticam, qua ascenditur e naui. Melius BVXTORFIVS, l. cit. *Cratis Ferrea*, *Vas Culinarium*. Quid autem iam ad ipsum MISCHNAE dictum erit respondendum? Prohibet ea omnino *Craticulam*. Quid uero, si, interdum adhibitam eam, ex MISCHNA probem? Locus est clarissimus: (c) אמר רבי צדוק מעשה ברבן גמליאל שאמר לטבי עברו צא וצלה לנו את הפסח על האסכלא: *Dixit R. Zadok: Historia est de Rabban Gamaliel, quod dixerit Tabi- seruo suo: Ito, et assato nobis Pascha SUPER CRATICULA.* Ad quem etiam locum, uere tamen contrarium, si conferatur MAIMONIDES, accipimus, et hunc permittere *Craticulam*, tanquam instrumentum legitimum, si ita fuerit referita foraminibus, ut ignis admoueri carni queat omni ex parte, uti antea dictum de uase. Idem legitur apud BARTENORAM, ad haec uerba Mischnica. Atque sic *Craticula* simpliciter uidetur admitti, cum nulla sit, quae caret rimis et foraminibus, saltem aetate nostra. Interim, uel nunquam, uel rarius, ita fuisse cum Paschate actum, uerissimum est. Subnascitur autem hic quaestio: Quid causae subsit, quare, ubi de *Craticula* loquuntur Iudei, ad ignem continuo, uelint, attendi? Hanc dabimus. Videlicet, perpetuo respectant Iudei diuinæ Legis literam, secundum quam Pascha non debebat esse simpliciter assūm, sed צְלִי אֵשׁ assūm igne. Vrget uoculam שָׂנָה, praeter complures alios, MAIMON. ad h. l. indeque coniicit, assationem iam praecipi per צְלִי, adiecto ergo nomine שָׂנָה, quod etiam pleonasticum uel otiosum

## C

otiosum

(z) Cod. PESACHIM, cap. VII. (b) p. 19.

(a) Lex. Talmud. col. 165.

(c) MISCHNA, Cod. PESACHIM, c. VII. §. 2.

otiosum haudquaquam putamus, significari, *solo igne*, carnem debere fieri assam, non alia re ulla, quaecunque tandem sit ea. Dicunt ergo: si Craticula ferrea non est perforata, ut ignem ipsum caro uere sentiat, non ignis assat, sed ferrum Craticulæ candens. Quam etiam ob causam praescribunt alia, in MISCHNAE loco producto, quorum primum est: **נַע בְּחֹרֶטֶן שֶׁל תָּנוּר יְקֻלָּה אֲתָּה סְקוּמוֹ** *si attigerit (Agnus) testam furni, decorticabit (Dominus) locum illius.* Sensum dicti habemus in BARTENORA. Si eueniat, ut Agnus Paschalis tangeret, aliqua parte, testam furni quandam canderent, ubi assandus ille est, pars ea Agni, quae attigit testam, decorticari debet, quia uel sola haec particula Agni non est alia *igne*, sed *testa candente*. Alterum: **נַע מִרְכְּבָתוֹן עַל הַחֹרֶס וְחוֹזֵר עַל יְמָוֹל אֲתָּה סְקוּמוֹ**: *si ex humoribus illius (Agni) stillauerit quid super testam, et redierit in illum, (Agnum) exscindet (Dominus) locum illius.* Sensum iterum accipe ex BARTENORA. Si aliquid iuscumenti a testa incaluerit furni, ac per calorem fuerit extractum *ex Agno*, redierit uero postea, ab Agno attractum, pars quaedam Agni est exscindenda, non tantum decorticanda, quia imbibit iuscumentum, a testa furni, non ab igne, tostum. Ultimum: **נַע מִרְכְּבָתוֹן עַל הַסּוֹלָה אֲתָּה סְקוּמוֹ**: *si stillauerit quid ex humoribus eius (Agni) super farinam, pugillum accipiet e loco illius.* Sensus: Si, ope farinae feruentis, Agno in furno subiecta, et calorem sursum pellentis ad Agnum, iuscumentum quoddam fuerit tostum, non factum est ope ignis, ideoque pugillus farinae est auferendus et comburendus. Alia adhuc remouet MAIMONIDES, qualia sunt, non esse torrendum in furno, ab igne, nuper electo, adhuc feruente, non super *ollae* *tergum*, non super *regulam*, neque ad *thermas Tiberiadis*; cuius mentem paucis uide apud SAM. BOCHARTVM. (d) Ad haec igitur atque alia compelli se, opinantur Hebraei, uocabulo **שָׁנָה**, quod cum Legislator Summus hoc sensu adiecisse videatur minime, suo ex arbitrio ipsi addiderunt plura, diuinamque legem, sua culpa, difficilem sibi reddiderunt. Abstinent igitur a *Vase*, abstinent a *Sartagine*, abstinent a *Craticula*, quae omnia, licet sollicitius fuerint explorata, non tamen admittunt, ut *solo igne*, quod continuo clamant, parari queat Agnus Paschalis.

### §. VIII.

(d) Hierozoic, T. I. col. 597.

## §. VIII.

**R**elinquitur, ut *Veru* illud esse, dicamus, medium, quo, solius ope ignis, caro reddatur aspa. Pronoceramus ad IVSTINVM M. (e) qui, sic, inquit, ὁ θεος οβελισκος διαπερισταται ἀπὸ τῶν πατωτάτω μερῶν μέχει τῆς κεφαλῆς. *VERV* unum transfigitur, adactum a partibus imis usque ad caput. Οβελίσκος vocabulum est, relatum ab ARISTOTELE inter πολλαχῶς λεγόμενο. Et recte. Sic, in historia Martyrum, *Obelisci* sunt *Testae*, *Lapides acuti*, dicti alias *Obelisci igniti*. *Obelisci* gloriatur in primis Aegyptus, molibus magnis, confectis e strue lapidum. Sic *Obelisci Memphitici*, pro monumentis Aegyptiorum sepulcralibus. Adeatur IO. FAES, ad GYRALDV, (f) et, qui copiosior est, ATHAN. KIRCHERVS. (g) Vti autem *Obelisci* Aegyptiorum a forma dicuntur pyramidali, qua de causa alias, Columnae nuncupantur, ac *Trabes*: Vti, in arte critica, *Obelus* uel *Obeliscus* uirgula est, et linea, Codicibus adiecta; sic et hoc in loco οβελίσκος ueruculum est, percurrentis Agnum in linea recta, uoce ab alia, οβελός, ueru, diminuta, per quam ex PLINIO, transfertur ab HENR. STEPHANO. (h) Ita *Glossae Vet.* per ueru, ueruculum, interpretantur, SVIDAS uero et ETYMOL. MAGNVM, per dictionem, σύβαλλα, subula. De re ipsa, si non credatur IVSTINO, cui tamen credendum hic est, conferatur TALMVD. Sed, nonne refragari uideretur MISCHNA, Non צוֹלֵין אֶת הַפְּסָחָה Non affare, inquiens, Hebraeos Pascha, puta, iis modis, qui iam enarrantur, לֹא עַל הַשְׁפָר וְלֹא עַל Neque IN VERV, neque super Craticula. Non ineleganter GVIL. SVRENHSIVS, שְׁפָר Veru interpretatur Ferreum. Noli tamen exinde argumentari, quasi שְׁפָר propria hac et perpetua significacione gaudeat. Minime. Sic enim neque עַל שְׁפָר של Veru ligneum possit dici, quia contradiccio foret in adiecto, et uerum σιδηρόξυλον, neque מִתְכַּת שְׁפָר של Veru ex metallo, quia admitteretur Pleonasmus, dum, quicquid est ferreum, conflatum etiam est ex metallo. Quarum tamen phrasium utraque legitur apud Hebraeos. (i) Cito etiam, ad SVRENHSIVM, ipsum BVXTORFIVM, cui שְׁפָר est Veru, Ferrum cuspidatum, quo carnes ad ignem assuntur, uel torrentur. Verum, recte intelligi debent ambo. Loquuntur enim de Veru illo, quod communiter

C 2

ter

(e) *Dial. cum Trypone*, OO. p. 259.(g) in *Descript. Obelisci Pampibili*.(f) *de Ritu sepeliendi*, OO. GYRALDI, T. I. p. 725.(h) *Theb. L. Graecae*, T. I. col. 713.(i) *BVXT. Lex. Talm.* col. 2419.

ter est receptum apud Hebraeos, scilicet de *ferreo*, uehementissimam etiam uim ignis sustinente, unde constanter retinetur in culinis nostris. Transfert ergo *BVXTORFIUS* uocem, eo sensu, quo apud Iudeos maxime usurpatur. *SURENHVSIVS* idem agit, ut ostendat, quale alias apud Iudeos *Veru* torreat carnem, uidelicet *ferreum*. Ergo *MISCHNA* contraria non est, sed exspectat interpretationem. Afferit ea, non assandum esse in *Veru*, hoc est, in eo instrumento ferreo, quo alias carnes assantur. Excludit igitur, quod bene uidit *SURENHVSIVS*, *Veru Ferreum*, i. e. proprie ita dictum et vulgare, non uero *Lignum Veru*, siue lignum, ad ueru formam confectum, uicemque ueru sustinens. Iam producamus *MISCHNAE*, de *Ligno* hoc *Veru*, uerba clarissima. (k) Quaerit ea: *כיצד צולין את הפסח* *Quomodo assant Pascha?* Responder: *טביאון שופר של רומן* *Afferunt Veru ex Ligno Mali Punicae.* Circa hoc Veru duo quaerenda potissimum sunt, quae alicuius putamus momenti. Primo, cur *Veru* praescribatur *lignum*, praeter consuetudinem gentis Hebræae? Postea, cur *ligno* utendum tantum *mali punicae*? Ad prius respondetur, et hic respici uerba legislatoria, quoad literam, assandum esse Agnum **באנש igne**. Aiunt enim Iudaci, si ueru infigatur ferreum et metallicum, magnam Agni, quem ueru percurrit integrum, partem non *igne* torri, sed *ferro*, aestu ignis feruido, quandoquidem nihil citius feruet, quam ferrum, et quod ex illo confectum est. Sed respondent ii etiam ad posterius: ob duplicum hoc fieri cauissam. Prima est, *Mali Punicae* lignum, secus ac ligna alia, humore abundare interno, et succo. Reftissime. Ideo enim ex fructu hoc, succi pleno, *Vinum* conficiebant olim Orientis populi, in Cantico Salomonis laudatum. (l) Ipsum uero etiam *lignum* eius multo referunt humore, intelligas ex eo, quod, dum siccitas insolentissima describitur a *IOELE*, (m) eandem, cum aliis arboribus, uel *malos punicas* ipsas, fortissime resistentes, infestasse, grauiter pronuntiet Propheta. Ligno autem, liquore et succo turgente, tum opus est, cum ueru uicem, ut in Paschate, subire illud deber, ne incalescat ab igne, atque aduratur. Caussam alteram indicant Gemaristæ, interprete *BVXTORPIO*. (n) *Lignum*, aiunt, *Mali Punicae*, tametsi multum eidem humoris insit, non tamen emittere humorem, quamuis incalescat, *ad motum*

(k) *Cod. PES ÁCHIM*, cap. VII. §. 1.

(m) I. 12.

(l) *CANT. VIII. 2.*(n) *Lex. Talm. col. 249.*

motum igni. Hoc si fieret, illegitimum continuo putandum esse, pergunter, ueru, quia sic Agnus non per ignem assaretur, sed coqueretur in aqua, et humore ligni. Ita etiam BARTENORA et MAIMON. ad Mischnam explicatam. Comparetur locus MAIMONIDIS alias: שְׁפָרָד שֶׁל רַמּוֹן בְּרוּדִין לְצַלְיוֹתָן כְּרֵי שְׁלָא אֲתָה מִיטָּו וּבְשָׁלוֹן:  
*Vera ex Malo Punica eligunt ad affationem eius, (Agni,) ne, humore sparso, coquatur. Est sententia quaedam singularis HVGONIS GROTI, (o) cui lignum hoc dicitur electum propterea, quod frequens Aegypto. Vera, inquit, Mali Punicae, quae frequens Aegypto, ut nos PLINIVS docet, XIII, 19. in huius Sacri usu manst. Quod tamen haud puto sufficere, quia semel tantum in Aegypto, postea per XL annos in deserto, denique perpetuo in Palaestina, Pascha fuit celebrandum, ubi eadem conquirenda fuere ligna. Neque dubitandum est, quin aliae Orientis regiones hac abundarint arbore, cum uel in ipsis Hortis Salomonis, qui Hierosolymis erant, sata copiose feratur, indeque in Cantico non semel cum laude nominetur.*

## §. IX.

**Q**uis hic, ubi *Vera* conspicatur *Lignum*, non intueri sibi videatur; velut in imaginem ueram infelici illius Ligni, cui Pascha nostrum fuit suffixum. Crucem enim ex nulla materia alia, praeterquam ex ligno, confectam, non ritus solum loquuntur gentium, inter has praesertim Romanorum, sed ipsae etiam paginae Codicis Diuini. Ibi Crux Messiae in uariis V. T. praefiguratur *Lignis*, ut Sacrificiorum, igne cremandorum, generatum, sic sigillatim illius Ligni, quod pertinebat ad sacrificium, intentatum, ab Abraham, Isaaco, uero Messiae typo, in pyram iamiam eleuando, cuius rei significationem eleganter descripsit aliquot Dissertationibus, IO. FRISCHMVTHVS. Sic eadem conspicitur Crux *Lignea* in *Suspensi*s V. T. qui, transacta lapidatione, enecati, suspendebantur de *Ligno*, cum corpore exanimi postea sepulto. Hi enim suspensi maledicti habebantur, ut maledictionem ferentis Seruatoris, in *lignum* quoddam aliquando ezechendi, imaginem referrent Israelitis. (p) Quid sibi uult *Serpens araneus*, נַעֲלֵי erectus; ubi quidem per נַעֲלֵי intelligent *Signum* veteres, LXX. ἐπὶ σκυλίς, ONKEL. עַל אֹתָה SYR. 120  
 C 3

(o) Comment. in EX. XII, 8.

(p) DEUT. XXI, 22, GAL. III, 13.

Conf. THÉOD. DASSOVII Diff. de Suspendio hominis, lapidibus obruti.

et Interpres HIEROSOL. **ארת תלו** locum excelsum, plerique tamen Perticam. Ipse RASCHI נס **כלנס** Veetem, atque aliis vocari, addit, **פְּרִטְנָגָן** Perticam. Pertica autem nihil aliud est, quam stipes, antenna, hasta militaris, quae omnia materiam supponunt ligneam. Typum hunc explicat IOANNES. (q) A Typis transeamus ad effata clarissima, in quibus, *Ligni* nomine, *Crux* apparet Messiae. Hunc sacrificasse peccata ἐπὶ τὸ ξύλον, asserit PETRVS. (r) Hic est idem, qui alibi demissus dicitur, transactis omnibus, ἀπὸ τῷ ξύλῳ, (s) appensus etiam ἐπὶ ξύλῳ; (t) ubi notanter, in locis duobus prioribus, *lignum* per ipsam uocem **לֵבֶן**, qua *Crux* effertur, παραφερόμενος SYRVS. Mitto additamentum illud commemorabile, quo Christus regnare prohibetur ἀπὸ τῷ ξύλῳ, (n) quodque, utrum a LXX. Senibus, an uero ab alia profiscatur manu, disquiritur ab eruditis. (x) Videamus, ex his, quale *Lignum*, in Veru Pascalis Agni, oculis nostris exponatur. Obsigno hanc uerbis IVSTINI, loco superiori praemissis: Τὸ ὄπτωμενον πρόβατον χηματιζόμενον ὅμοιος τῷ χήματι τῷ ΣΤΑΥΡΟΥ ὄπταται. Agnus affus, effictus ad formam CRVGIS, torretur. Locus clarissimus est, nec eget interpretatione.

## §. X.

**D**e Veru res est confecta. Procedamus iam ad ipsam Agni Affixionem. Hanc tradit MISCHNA, (y) post Veru Lignei descriptionem, subiiciens: **חוֹכְםָ מַתְּךָ פַּי עַד בֵּית נְקוּבָתוֹ** Quaeris uerborum sensum? Dabimus. Infigunt Veru illud per medium oris, usque ad eum locum, ubi egreditur, quemque Hebraei appellant **בֵּית נְקוּבָה**; cuius phrasos uocem primam non per domum, sed per locum, hic transferendam esse, docet genius linguarum, Hebraeae, Chaldaeae, Syriae: sequentem autem a uerbo descendere certum est Chaldaeorum, נְקֵבָה, **pungere, perforare**, unde nomen alias notat foramen quodus, hie uero συνεδροχίκως, aperturam uentriss Agni posteriorem. Ita enim mode-

stius

(q) III. 14.

(r) I. PET. II. 24.

(s) ACT. XIII. 29.

(t) ACT. V. 30. X. 39.

(u) PS. XCVI. 10.

(x) Vid. NEWMANNI Progr. de Messia,

regnante ἀπὸ τῷ ξύλῳ, in Progr.

Acad. p. 110. sqq. TH. ITTIGII Diff. ad uerba interpolata: Dominus regnabit a Ligno, Lips. 1702, itemque singularis Observatio Magnifici SAL. DEYLINGII, Obs. Sacrae. P. II. p. 283. sqq.

(y) PESACH. c. VII, §. I.

stius transtuleris forsan, quam cum aliis, per anum, nates, pudenda. Apud IVSTINV M occurrebat supra, sub nomine τῶν κατωτάτων μερῶν. Hanc affigendi rationem iisdem exprimit uerbis MAIMONIDES, qui euoluatur ipse. (z) Percurrit igitur Agnum ueru in linea recta, a capite usque ad pedes, more, apud nos recepto. Iam quaeritur, an Agnus, ueru affixus, intromissus fuerit confessum in furnum? Quod negamus. Acedunt enim alia, cum Agno ipso inferenda, uidelicet intestina, uoce קְרֵב inclusa, et simul assanda ex Lege Dei, (a) iecur, puta, cor, et reliqua. Esse quidem, scimus, qui separatim, et a truncu Agni ac ueru remota, suspensa in furno, uelint, quia sic torri potuerint celerius multo, quam iuncta truncu. Ita IO. CLERICVS, (b) et, qui, id factum etiam esse interdum, coniicit, IO. LVNDIVS. (c) Verum, si consulamus Hebraeos, ipsius Agni corpori haud deprehendimus sociata. Est etiam sententia, subnata ex traditione R. Iose Galilaei: **וּתְהִיא אֶת כָּרְבֵּנוֹ וְאֶת בַּנְיֵנוֹ מְעוֹד לְתוֹכוֹ**: Ponit (Dominus Agni) crura et intestina illius intra illum. (Agnum.) Sed recte contradicit ibidem Doctor magni nominis, R. Akibha: **כְּמַין בְּשׂוֹל הָא זֶה** esse hoc quasi speciem coctionis, ideo, quia sic intestina non assarentur ab igne, sed coquerentur carne Agni, et in ea, tanquam in olla, ut ait BARTENORA. Bene igitur subiicit Akibha: **אֲלֹא תַוְלִין חֻזְצָה לוֹ**, sed appendunt (illa) exterius. Non ergo fuere corpori iniecta, sed, appensa extra Agnum, extra corpus, non tamen in furno separatim, sed ad latus adiuncta Agni, in Vero quodam minori, quod inter pedes insereretur anteriores, et de quo IVSTINV MARTYR: (d) ἐν πάλαι (θερισμος) κατὰ τὸ μετάφρενον, οἱ προσάρτονται ναὶ αἱ χεῖρες τῷ προβάτῳ. Vnum iterum (Vero) ad interscapulum, (perfigitur,) cui appenduntur manus Agni. Vbi ueru, si audias, cum pluribus HENR. STEPHANVM; (e) nihil est aliud, quam pars corporis, quae a tergo obiecta est praecordiis, unde apud HOMERV M pro Interstitio legitur, quod est inter scapulas s. humeros, ideoque a MARCELLO EMPIRICO, et aliis, transfertur: Interscapulum. Miratur Vir Celeb. CHRIST. SCHOETTGENIVS, in schedis, sub nomine Rabbini recens diuulgatis, (f) nullam ueru huius mentionem fieri a Iudaeis, sed liceat, pace Viri Ereditissimi, ad testimonia prouocare RASCHII, tam ad Pesachim, quam ad Berachoth,

(z) *De Paschate, c. VIII.*

(a) EXOD. XII. 9.

(b) *Comment. in Exodum, p. 51.*(c) *Iud. Heiligth. p. 992, 993.*(d) *I. c. OO. p. 254.*(e) *Theb. Ling. Gr. T. IV. col. 195.*(f) *Sched. XII. p. 94.*

*Berachoth*, quae citantur a b. DASSOVIO, (g) itemque BARTEGORAE, qui eiusdem ueru meminit, ad MISCHNAM, et IOM TOBH, ad eundem locum, in PESACHIM, quae tamen testimonia non intelligi possunt de ueru maiori, quo nihil appendi potest lateribus; unde videntur haec ad sententiam accedere IVSTINI, cuius si nullum adfuisset fundamentum, Tryphonem continuo inficiari potuisse, arbitramur. Redimus ad rem. Intestina circumdabant et Agni latera, et caput, quia quaedam in ueru maiori, cetera in altero, minori, conspiciebantur. Vnde intelligendi sunt Hebraei, quando Agnum Paschalem, in ueru spectatum, מְקוֹלָס Galeatum dicunt. (h) Quemadmodum enim homo, et ense, in femore ac latere, et galea, in capite exornatur, sic Agnus hic referebat speciem hominis armati et galeati, quia ex intestinis alia erant appensa lateribus, quorum meminit, praeter alios, BVXTORFIUS, in Lex. de Agno differens Galeato, ipseque DASSOV. l.c. alia circumvoluta capiti, quae praesentasse Coronam Christi Spineam, pulcra est et elegans meditatio Celeb. SCHOETTGENII. (i) Iam bene componitur Typus cum Antitypo. Quanquam enim non fuit ligno perfoissus, et transfixus, Messias; fuit tamen affixus ligno duplice, alteri, in linea recta ascendi, quod corpus, caput et pedes capiebat, alteri transuerso, pauloque minori, cui manus affixa. Expendas praeterea, Agnum in duplice hoc comparere ueru nudum, detracta pelle, carne sola igni admota. Nonne et hic uera adest imago Messiae, qui, cum, Crucis suffixus, in ligno pender gemino, omnibus exutus uestimentis, tunica, chlamyde, purpura, quae cedunt tortoribus per fortem, nudus exponitur oculis hominum perulantissimorum et sceleratissimorum. Quanquam autem, hac ipsa ex nuditate, dolorum Christi multitudo haud parum accrescit, eo tamen audaciae proteruiam Iudeorum processisse, opinandum non est, ut, omnibus omnino corporis partibus ac membris nudus fuerit exhibitus, dum, ut lapidandis interulae, feminis praeterea uelamina, relinquebantur, sic hoc supplicio afficiendis, tantam haud legimus ignominiam accidisse.

### §. XI.

**I**mmiti autem debebat in furnum *Agnus integer*, non diuisus, non dissecatus, nullo priuatus membro. Ita enim diuini praescripti clarissima litera

(g) *Diss. de Signis Crucis Gentis Hebr.* (h) *Cod. BEZA f. 22. col. 2. et PESACHM.*

§. III.

*f. 53. col. 2.*

(i) *l. c. p. 94.*

litera extat, (k) assandum esse cum Agno **רָאשׁוֹ** caput eius, **כְּרֻעִיוֹן** crura eius, denique **קְרַבֵּן** intestinum eius. Elegans, qui hoc referri meretur, locus est ABARBANELIS: (l) **הַיְהּ רָאשׁוֹ עַל כְּרֻעִיוֹ וְעַל קְרַבֵּנוֹ רָגְנָתָה** (m) **הָאָרֶם בְּעַת מָתוֹ שְׁחֹןָ עַם כָּל אַבְרוֹ:** **Dum caput eius cum cruribus et intestino eius fuit coniunctum, repreaesentauit hominem tempore eo, quo MORITVR; Quia (Agnus) omnibus membris suis gaudebat.** Testimonium sane insigne est, ubi Agnus dicitur exhibuisse speciem et figuram moribundi hominis. **רָגְנָתָה** enim, hic apparens, nil aliud, quam Graecorum **δεῖγμα** est, **Forma, Exemplum, Typus, Similitudo.** Quod saepius est obuium in TALMUD. Vid. praeter BXV TORFIVM, (n) R. DAV. COHEN DE LARA. (o) Sed, cuiusnam hominis morientis exhibuit symbolum? Christi, dicimus, Θεανθρώπος, qui non dilaniari debebat et dilacerari, non discerpi et mutilari, non dissecati in frusta, sed cum corpore assari integro. Tametsi enim membra omnia, quod querelae loquuntur ipsius, (o) distorta fuerint, distenta, suisque uelut e iuncturis tracta, tamen, uti Agnus, in partibus omnibus, nulla demta, uim experiebatur aeternaque ignis, sic Messias, dum omnibus omnino excruciat in membris, tanto plus pro nobis nostrisque peccatis laborauit. Dolore igitur affectae partes sunt omnes: *Cor*, aetu flammorum liquefactum, ac diffusens instar cerae, *Caput*, spinis compunctum, iestibusque calami fauci, *Palatum*, myrrhae, fellis, aceti uilissimi, liquore illitum, *Lingua*, ariditate fauicibus agglutinata, *Genae*, colaphis militaribus exceptae, *Facies*, iniecto sputo dehonestata, *Humeri*, mole stipitis incidentis compressi, *Tergum*, flagris caesum, more gentis, per innexos talos, per oscula, taxillos, tessellas, glandesque plumbeas, mirifice exasperatis, *Manus* ac *Pedes*, clavis transfossi trabalibus. Adderemus *Latus*, lancea apertum militari, nisi, haue in Christum, anima iam efflata doloris expertem, accepissimum iniectam. Verum, redeamus ad *integritatem Agni*, ad quam non hoc duntaxat, de *membris omnibus*, cum Agno torrendis, praeceptum pertinet, sed conferendum est aliud, quod praescribitur postea: **עַצְם לֹא תִשְׁבְּרוּ בָּהּ Os non confringetis in eo;** (p) repetitum alibi, in persona tertia. (q) Quae tamen uerba, quomodo debeant explicari, existit quaestio. In-

## D

terpres

(k) EXOD. XII. 9.

(l) Comment. in Exod. f. 152.

(m) Lex. Talmud. f. 501. sq.

(n) De Conuen. Vocabul. Rabb. cum

Græcis, cat. p. 28.

(o) PS. XXII. 15. 18.

(p) EXOD. XII. 46.

(q) NUMER. IX. 12.

terpres WERTHEMENSIS, in transferendo et interpretando Cod. Sacro saepe studio lapsus, reddidit: *Ihr soll auch bey Verzebrung desselben kein Bein ausschlagen.* Quaeritur: Vtrum recte? Sed respondebitur statim. Interim ita uel ipsi procedunt Hebraei, addita caussa, non conuenire *filiis Regum et Consiliariis terrae*, quales in instante libertate sua haberi possint Israelitae, ut ossa rodant, carnisbus nuda, et instar canum diffringant. Sic R. LEVI BARZELONITA, cuius locum ampliorem dat IO. FRISCHMVTHVS. (r) Adiungit caussam aliam MAIMONIDES, non sinere festinationem, ut, carne consumta, frangantur ossa et extrahatur medulla. (s) Intelligis, hos ad tempus respicere, quo edendum, non, quo assandum fuit Pascha. Et, falli eos, facile dici posset, nisi, ita existimare, constaret, et nostrorum Philologorum sagaciores, inter quos magnus ANDR. RIVETVS, (t) in sententiam ingreditur Hebraeorum. Et omni laude maior SAM. BOCHARTVS (u) de emedullandis loquitur ossibus, qua uere de caussa frangantur. Subnecit, posse indicari festinationem, nisi mysterium subesseret. Adderem plures ex eruditis, si opus esset auctoritate eorum. Iam ergo videbitur praeceptum hoc plane non pertinere ad argumentum nostrum. Veruntamen, cum generatim, et absque ullo temperamento, ullaque restrictione, ad hoc uel illud tempus facta, uerba fluant Legislatoris, non inscienter Legem fueris interpretatus, si dixeris, neque, quando ad assationem parandus est Agnus, ueru triuiciendus, furnoque inferendus, neque, cum in ipsa Paschali consumitur Coena, os ullum esse frangendum, sed, ut comburenda sint ossa integra, sic Agnum etiam debere, integris cum ossibus, immitti in furnum. Ipsa ossa appellantur simpliciter, excepto nullo. Quando igitur MAIMONIDES (x) reos dicit Iudeos, tantum ob fractionem ossis, quod carnem sub se habet ad mensuram uel magnitudinem oliuae, aut, referti medulla; atque alibi (y) frangi posse, largitur, sine poena, os caudae, tanquam ad esum illegitimum: Reete notatur BOCHARTO, (z) ad generalem, inquieti, Dei legem nostrum non est, quicquam excipere. Quodsi tamen acciderit, ut fractio fuerit patrata a quopiam, uel studio, uel per errorem, quidnam ille promeruerit, si quaeras: Respondent Hebraei

(r) *Diff. de Iudaico, eoque inter duas uesperas matando, Agno Pasch.*  
c. II. §. 8.  
(s) *More Neboch. P. III. c. 46. p. 483.*

(t) *Comment. in Exod. OO. T. I. p. 915.*  
(u) *Hierozoic. T. I. p. 609.*  
(x) *De Pasch. c. X. §. 3.*  
(y) *I. c. §. 7.*  
(z) *I. c. col. 609.*

השׁוֹבֵר אֶת הַעֲצָם בְּפִסְחַת הַתְּהֻווֹר חַרְיָה וְהַלְקָחָה אֶרְכָּבָעִיטָם : Qui fregerit os in Paschate puro, ecce hic accipit XL. plagas. Hoc ergo est praeceptum ipsum, quod non tantum apud Mo-sen, sed ipsos etiam Hebraeos, quod, mirum est, inficiari Virum Celeb. CHRIST. SCHOETTGENIVM, (b) uere deprehendi, ex dictis liquet, quibus addi plura potuissent. Sed, quid sibi uult illud? Euoluatur spectatae scriptor fidei, diuinaeque auctoritatis, IOANNES, (c) qui, in enarratione ultimorum Messiae, crura eius non dicit cum cruribus confracta latronum, sed integra relicta in stipite, non ob spiritum tan-tum, iam redditum, sed praecipue, ἵνα οὐ γραφὴ πληγῶθῃ. ὅτεν γέ συντριβήσεται αὐτός. Vbi uerba priora cum formula conuenient Hebraeorum: לְקִוּם מֵה שְׁכָרְבוֹן ad implendum id, quod scriptum est, posteriora uero cum mandato, de non confringendo Agno, ut legitur apud ALEXANDRINOS. Vtrumque bene animaduerterit GVIL. SVREN-HVSIVS, (d) pro ratione instituti sui. Haud quidem ignoramus, esse, qui locum a IOANNE, uelint, respici longe alium, uidelicet, Dauidicu-m illum de iusto: (e) שָׁמֵר כָּל־עַצְטוֹתָיו אֶת מְהֻנָּה לֹא נִשְׁבָּרָה Custodit (Deus) omnia offa eius, ut nullum frangatur ex illis. Ita sentire GROTIUM, SPENCERVM, SALOMONEM VAN TILL, WHITBYVM, ex parte etiam LIGHTFOOTVM, annotant ANT. BYNAEVS, (f) et FRID. AD. LAMPE. (g) Ipseque CAMP. VITRINGA (h) fauere uiderur GROTI, statim tamen, ad Pascha applicari rectius et pleniū, confessus. At enim, cum in Psalmo non de iusto quodam, κατ' εξοχὴν tali, qualis Christus fuit, sed de iusto quoquis, sermonem esse, ex oppositione pii et impii, ibi subiecta, dispaleseat, cum etiam uerba Psalmi eo non fluant ordine, neque iis uerbis, quibus apparent apud IOANNEM, qui quis uidet, de solo praedici Crurifragio, in Agni Paschalis Antitypo, Messia, si cruci fuerit lusfixus, intermittendo. A qua Christi fractione cur abstinentium fuerit, quaerunt Theologi, copiose satis. Docte cerre suam aperit mentem F. A. LAMPE: (i) Offa symbolum roboris et fortitudinis sunt; adeoque praeservatio ab eorum comminutione praefigurabat, quod nulla uis mortii et inferni quicquam ex robore diuino Agni Dei dimi-nutura esset, per quod suos fernare debebat. D 2 §. XII.

(a) Cod. PESACHIM, c. VII. §. ii.

(b) Sched. supra cit. p. 95.

(c) XIX. 36.

(d) in Βίβλω Καταλλαγῆς, p. 380. sq.

(e) r. s. XXXIV. 21.

(f) de Morte Christi, T. III. p. 486.

(g) Comment. in Ioannem, T. III. p. 632.

(h) Obseru. Sacrar. L. II. c. X. p. 416.

(i) l. c. p. 632.

## §. XII.

Iam Agnus, rite praeparatus et compositus, inferendus est in *Furnum*. Hunc *Furnum* חַנּוֹר appellare solent Hebraei, BARTENORA, MAIMONIDES, ad Mischnam disputantes, ipsa etiam MISCHNA. (k) Vocabulum non ignotum est, ob usum S. Codicis, designatque receptaculum quoddam ignis, non tam ad calorem, in conlaubis spargendum, confectum, quod *Fornacem* melius dixeris, quam potius ad uaria, in eodem paranda in usus hominum, quale Latinis dicitur *Furnus*. (l) Ipsa dictio חַנּוֹר legitur apud NEHEMIAH, (m) de תְּנוּרִים Turri Furnorum Hierosolymitana, hoc est, de Turri, uel seriei Furnorum amplae adiecta, uel imposita Furnis. ARABS reddidit per *Turrim Fabrorum Murrariorum*; at, melius notionem retineas propriam, et intelligas de *Furnis* iis, in quibus *panes* confecti pro ciuibus Hierosolymitanis, uel, de *Calcaritis* et *Laterariis*, in quibus cocti lateres, cum materia calcis, ad urbem exstruendam pertinente. Vnde nihil ex utroque definit 10. IAC. RAMBACHIVS, (n) Interpres, non ubique contemnendus. Spectatur ergo usus Furnorum horum praecipuus in coctione, ut rerum multi diversique generis, sic sigillatim ciborum. Inde, de Mincha, Deo offrenda, cocta in *Furno*, de muliere, panem conficiente in *Furno*, de *Furno*, a pistore incenso, cum dicitur, uox חַנּוֹר ubique recepta est. (o) Intelligitur ex his, *Furnos* igne arsisse uehementiori, ex quo factum, ut pietas ardenter cum *Furno* comparetur pistoris, ut impii, ob flagitia mulctandi, *furnis* ignis dicantur assimilandi, ipsam denique diem Domini, ad iudicium delectum, tam grauem futurum, praenuncient Prophetae, ut ardor eius sit accessurus ad uehementiam ignis *Furni*. (p) Vbi ignis, ibi Fumus; Hinc חַנּוֹר *Furnum Fumi*, sive, fumum collectum emittem, conspexit Abrahamus, isto foedere insigniori. (q) Ab igne hoc et fumo, atri, fulsci, et fuliginosi redduntur *Furni*. Qua de causa Hierosolymitani, Cutis nostra, queruntur, כתְּנָוָר sicut *Furnus* atrata est. (r) Habes pauca de Furnis. Quemadmodum igitur, cum Dei

(k) Cod. PESACH. c. VII. §. 2.

(l) G. I. VOSSI Etymol. Lingv. Lat. p. 229. SAM. PITISCY Lex. Antiq. Roman. T. I. p. 833. CAR. DV FRESNE Glaffar. Med. et Inf. Latin. T. II. p. 360. sq.

(m) III. n. et XII. 38.

(n) Annotat. ad Lib. Nebem. p. 137. ex Recens. MICHAELIS.

(o) LEV. II. 4. XXVI. 26. VII. 4. HOS. VII. 4.

(p) HOS. VII. 6. PS. XXI. 10. MAL. III. 19.

(q) GENES. XV. 17.

(r) THREN. V. 10.

Dei habitatio inter ciues Sionis describenda est, non ignis solum Ieho-  
uae, sed ipse etiam *Furnus* eius, ibi esse dicitur, (g) ita exinde perspicitur  
clarissime, eiusmodi תְּנַרְוִים f. *Furnos* in omnibus Hebraeorum domici-  
liis et habitaculis fuisse receptos, ut maxime necessarios ad sustentatio-  
nem uitae. Vbi igitur fuerit fons *Paschalis Agnus*, si quaeratur, *Fur-*  
*nus* fuisse, respondendum est, siue *Cibarium*, receptaculum magnum,  
igne repletum, quo coqui, assari et parari, potuerint panes, carnes,  
cibi, et quaecunque alia. Interim hunc speciatim *Furnum* describunt ita  
Viri docti, quod os, uel foramen quoddam haberet superne, per quod  
demissus fuerit Agnus deorsum, ibidemque suspensus cum uero, ut  
subiecto igne, et circumiacentibus prunis, non alia re ulla, torri-  
potuerit, uel assari. Adeatur, ex pluribus, 10. LVNDIVS, (t) et Celeb.  
ZORNIVS, sub nomine latens AMELIUS. (u) De ipsa suspensione in Furno  
rectis est MAIMONIDES: (x) הַלְוָהו לְתֹרֵךְ הַאֲשֶׁר לְמַטָּה  
*Suspendunt eum (Agnum) in medio Furni, subiecto igne.* Erat igitur  
hic ignis, non in Templo, sed in cuiusvis patrisfamilias domibus;  
Ignis, non altaris, sed furni; Ignis, non sacer, coelestis et perpetuus,  
sed vulgaris, culinaris, iterumque extinguidus; Ignis denique, non  
consumens carnem, et redigens in cineres, sed afficiens tantum, ido-  
neamque reddens ad cibum. Ex quo simul, quid ad quaestionem, diu  
multumque agitatam: (y) *Vtrum Agnus Paschalis fuerit Sacrificium?* re-  
spondendum sit, haud obscure cognoscitur.

### §. XIII.

Sed, non sufficit, ignem considerasse Paschalis Agni, huiusque *affandi*  
rationem. Videamus etiam, quid hoc sub igne contemplemur. Dicimus ergo, nihil hic spectari aliud, nisi Mortem ipsius Θεανθρώπου. Quod  
D 3 iam

(s) IES. XXXI. 9.

(t) Iud. Heiligtb. p. 992.

(u) Eroert. der dunek. Schrifftstellen  
A. T. P. I. p. 858. sq.

(x) *De Paschate*, c. VIII. §. 4.

(y) Hanc affirmant, praeter alias,  
FR. AD. LAMPE, *Comment. in lo-*  
*annem*, T. I. p. 430. HERM. WIT-  
SIVS, *in Oecon. Foeder. Dei*, L. IV.

c. IX. p. 711. 10. LVNDIVS, prouocans  
ad HACKSPANIVM, BOCHARTVM,  
BROCHMANDVM, LVD. DE COM-  
PIEGNE, et. im Iud. Heiligtb. p. 990.  
sed negant 10. LEVSDEN. Phiol. Hebr.  
Mixt. Diff. XXXVIII. p. 279. sq. 10. FR.  
BVDEVS, in Instit. Theol. Dogm. L. IV.  
c. I. p. 753. 10. GERHARD, in Loc. Theol.  
T. IV. §. 50. QVENSTED. in System.  
Theol. P. IV. p. 102, sqq. et plures.

iam explanate docendum. Est genus quoddam mortis longe miserrium, quod perhorrescas facilius, quam eloquare, ubi cum carne hominis uiua agitur, uelut cum carne animantium, sanguine iam effuso, ut igni admota, torreatur, ac uere affetur, siue in Sartagine, siue in Craticula. Si quaerantur exempla, suppeditabimus quedam. A Rege Babelis, ut testis est IEREMIAS, (z) hoc affecti fuerunt supplicio Zedekia et Ahab, מֶלֶךְ־כָּכָל בַּאֲשֶׁר־קָרְלָם quos torruit Rex Babelis igne; ubi obseruetur, uerbum קָלָה proprium ad spicas referri toſtas, quod cum igne fieri soleat, hoc loco, adhibitum de carne, ueram includit assationem. Exemplum aliud exhibet Conditor Historiae Maccabaeorum, (a) in enarrando martyrio illo occupatus septem filiorum matris cuiusdam, legem repudiare nolentium, quorum primus in Sartagine fuit toſtus. Verbum enim Τηγανίζειν, quod Textus habet Graecus, torrere notat, frigere, assare, in sartagine uel patella, quae Τηγανον Graecis appellatur. LVTH. In der Pfannen braten. Adeamus historiam Ecclesiasticam, ubi se offerunt Christiani quidam in urbe Phrygiae, Merro, nominatim Macedonius, Tatianus, Theodulus, Phryges. Hos, multifarie antea excruciatos, Praeses, Amachus, igne tandem assari, iusfit. Vnde, ipsa in Craticula, eidem illudunt, quod refert distinctius, cum SOCRATE, (b) SOZOMENVS. (c) Inter Martyres, qui alicuius sunt nominis, solus excitetur Laurentius, qui, post multa tormenta carceris, uerberum, scorpionum, fustium, plumbarum, laminarum ardentium, cet. delatus tandem in Craticulam fuit ferream, ibidemque toſtus, ut refert MARTYROLOGIVM ROMANVM. (d) In Craticula illusit tyranno, Assum est, inquiens, uersa et manduca. De quo martyrio RUPERTVS TVTIENSIS, pulcre, huius, ait, Assaturam suauiter in tota Christi fragrare Ecclesia. (e) Alia, de eodem Laurentii supplicio, pluribus, nec minus piis referunt uerbis AVGVSTINVS, LEO M. AMBROSIVS, PRUDENTIVS, quae lege, si lubet, apud KORTHOLTVM. (f)

## §. XIV.

**V**t horum, supplicio hoc crudelissimo, excruciantur corpora, ipseque simul agitatur spiritus, sic et corpus afficitur tormentis, et anima laborat

(z) XXIX. 22.

(a) II. MACC. VII. 5.

(b) H. E. L. III. c. LI. p. 187.

(c) H. E. L. V. c. XI. p. 610.

(d) ad diem X. Aug.

(e) L. VIII. de Diuin. Offic. c. X.

(f) de Persecut. Eccles. primae sub Imp. per. Ethn. scđ. IX. p. 380. sqq.

laborat *Messiae*, mortem pro nobis in *Cruce* oppetentis. *Igni* enim ad-  
 mouetur ille, varie antea praeparatus, et tristi *Crucis* palo, uelut *Agnus*  
*Paschalis Veru*, affigitur, iamiam torrendus et assandus. De *igne* au-  
 tem cur loquamur potissimum, difficile intellectu esse nequit. Conspi-  
 cari enim hic licet nobis *Ignem Amoris Christi*, quo ipse nos, ab se aer-  
 num auulsos, tantum amplexus est et fouit, ut uel zelo *consumeretur*  
 amoris. (g) Iam autem nihil est decantatius, quam, *amorem*, in fa-  
 cris profanisque literis, sub symbolo repreſentari *ignis*, uehementer  
 ardentis, lateque se diffundentis. Vnde uel ipsius *amor Messiae*, aetate  
*Salomonis*, cum *igne* confertur, multis aquarum fluminibus non ex-  
 tinguedo, cum flamma Dei, cum prunis ignitis. (h) Hoc igitur *igne*  
 ille aestuat, hoc angitur, hoc torretur in *Cruce*; qua de re, medita-  
 tione digna, in *Hymno* argumenti illustris cecinit *LUTHERVS*: *Hie ist*  
*das rechte Oster-Lamm, cet. das ist an des CRETZES Stamm IN*  
*HEISSER LIEB GEBRATEN.* Sed, attendatur etiam ad *Ignem*  
*Inferni ac Satanae*, qui Christum agitabat doloribus atque angustiis  
 longe grauiſſimis, quas, ut auferret a nobis, pro nobis ad tempus ipſe  
 perculit, paeſerit in anima sua, quae tota erat perturbatissima. Inde  
 derelictio, inde *ἀγνοία*, inde affectus alii uehementiores, *λυπηθεῖται*,  
*αἰδημονεῖ*, *ἐνθαυμαζεῖται*, ut efferuntur ab *Evangeliſtis*. Adde *Ignem*  
*Irae Patris*. Quis est enim, qui, *iram* ipsius Dei cum *ignis*, uehemen-  
 ter affligenſis ac prementis, comparari *aeftu*, nesciat. (i) Hoc *igne* nos  
 eramus torquendi, a quibus ad *iram* prouocata fuerat aeterna Dei iu-  
 stitia, quem tamen, sanguine suo postea restinctum, suscepit in ſe *Agnus*  
 ille, tollens peccata mundi. (k) Si quis denique, uel ipsius *Igne Solis*,  
 roſtam dicere uelit carnem Christi, haud refragandum uidebitur. Nam-  
 que arbitramur, diem illum fatalem et luctuosum, quo Deus peperdit  
 in *Cruce*, praे omnibus aliis *lucidum* fuſſe ac *serenum*, in primis ideo, quia  
 ſic miraculum Solis obscurati, eo reddi poterat insignius, cordibusque  
 ſpectatorum tanto altius infigi. Caligine enim dicitur obductus ὁ ἥλιος,  
 per quem non lucem intelligi, putamus, tantum diei, sed ipſos etiam Solis  
 radios uehementiores, oculis subtractos tortorum, ſpectatorum, omnium-  
 que incolarum terrae. Est inter poenarum genera quoddam, a Deo ipſo  
 aliquando, cum morte etiam, iniunctum, (l) quo *Soli exponi* dicuntur delicti  
 cuius-

(g) PS. LXIX. 10. IOANN. II. 17. (k) IOANN. I. 29.

(h) CANT. VIII. 6. 7.

(i) THREN. I. 13. II. 4. IEREM. IV. 4. (l) NUMER. XXV. 4.

cuiusdam conuicti. Graeci uocant ἑξηλιάζειν. Hoc qui afficiuntur, ignominiae ergo, omnibus ac singulis exponuntur in exemplum, ut sceleris poenam luant, cui tamen non deesse siuum cruciatum, affirmat LVD. VIVES. (m) De eo AVGUSTINVS: (n) *Quidam peccantes, vel debita non redditentes, poni a iudicibus dicuntur ad Solem.* Alia persequitur, hoc spectantia, IS. CASAVBONVS. (o) Sed, haec fino. Dico tamen, Christum, quem oportebat νψωθῆναι, exponi in Cruce non tantum ignominiae caussa, spectandum a singulis, sed ita exponi, ut quasi uideatur assari, in monte, quem, partim ob altitudinem, partim ob corporum circumiacentium absentiam, maximus Solis premit aestus, radii illius tanto ardentius, tantoque liberius aduolantibus. Sic Igne cinctus est suspensus in Cruce Messias, undecunque spectetur. Quae si expendantur, mirari desinet quiuis, cur languens ille in palo conqueratur, effusum se esse instar aquae, cor diffluxisse, colliquefactum in medio uiscerum, exaruisse uires instar testarum, lingua fauicibus haerere, et quae sunt alia. (p) Quanquam enim haec, aliqua ex parte, repetere possis recte ab effuso sanguine et extorto, per angores in horto et monte, per spinas, per flagra, per claves denique trabales in cruce ipsa; dum, sanguinis circulo machinam, scimus, sustineri hominis, et corporis uitam in sanguine spectari, Deus afferit: Ipsae tamen loquendi formulae deducent te ad ignem quandam ardoris haud vulgaris, grauiterque prementis. Vnde enim colliquescit cera, nisi ab igne proximo? Quorsum referendum est exarescere illud, nisi ad ipsam uim ignis, humidum omne e corpore exsiccantem? Ipsaque lingua hominis tum demum fauicibus haeret, quando per ignem internum, sanguine agitato, humidum consumitur. A qua caussa sitis est repetenda Messiae uehementissima, et difficulter restinguenda, quam queribundus eloquitur in cruce: Διψῶ. (q) Ceterum, notaru dignissimum est, quod, ipso Iudeos antiquiores, uerba haec Psalmi XXII. Messiae vindicantes, exinde incredibilem eius aestum atque ardorem, corpus affigentem, probare, intelligamus. Locus est Traditionis cuiusdam uberioris, in TALKVT, (r) quae legitur etiam in PESIKTA, et a uariis Viris eruditis excerpta fuit, latineque trans-

(m) Not. ad AVGUSTIN. de Ciu. Dei, (p) PS. XXII. 15. 16.  
p. 697.

(n) De Ciu. Dei, L. XII. c. IV. (q) IOANN. XIX. 28.

(o) Exercit. Anti-Baron. XVI. p. 545. (r) Comment. in Ies. LX.

אמרו שבוע שבן רוד בא בְּכִיאֵין קָרוֹת translata. (۶) Verba sunt: וְלֹא עַל צָאוֹר עַד שְׁנַקְפָּה קָומָתוֹ וְהַזָּעַק וּבְכוֹתָה של ברול ונוחנים לו על קולו לטרום אמר לפניו רבונו של עולם כמה והוא כהו כמתה ושולח רוחו כמה והוא נשמי וכתה והוא אבריו לא בשר ודם אני על רהא רוחיו כמה והוא נשמי וכתה והוא אבריו לא בשר ודם אני על רהא רוחיו כמה והוא נשמי וכתה ואני יבש כחרש חי: Dixerunt: (Veteres:) *Quia septimana uenerit Filius Dauidis, afferent trabes ferreas, eiusque collo imponent, usque dum incuruetur statira ipsius. Vnde ille clamorem edet ac fletum tantum, ut uox eius ad coelum usque ascendat. Dicit (Messias) coram eo: (Deo O. M.) O Domine huius uniuersi, qualis est uirtus mea? Quamdiu haec sustinebunt spiritus meus, anima mea, ac membra mea? Nonne et ego caro et sanguis sum? Propter hanc horam fleuit Dauid, cum dixit: (Pf. XXII. 16.) EXARVIT, SICVT TESTA, VIRTUS MEA.*

## §. XV.

**Q**uodsi tamen cauſſas, ob quas, cum igne Paschalis Agni, aestum, qui Chriſtum in cruce torquet, cum illius uero affatione, huius mortem conferamus, exquiras, accipe has iam diſtinctius, sed in compendio. In carne torrenda anithantis cuiusuis, ſanguinem primum, conſtar, excitari, commoueri, agitari, idque ob impetum et uehementiam ignis, in carnem irruentis. At, quot, quaeso, cauſſae aderant in Christo, quae ſanctissimum illius, ſed uore humanum, exagitare poterant ſanguinem, metus, quatenus naturae competit humanae, horror, perturbatio ineffabilis, dolores animae, tormenta corporis, ignis multiplicis generis, ſacuens in Chriſtum ſine interuallis, de quo uſpra. His atque compluribus cauſſis aliis, uel ante affixionem, ebuliens redditur ſanguis, ut, ſuis e ſedibus pulſus, copioſe, in grumis et guttis concretis, e Seruatorē madente deſcendat in terram. Interim hic ipſe ſanguinis moritus, in carne afflanda productus primum, ſedatur tandem ita et conqueſcit, ut in carne, liquore ſuo priuata, ſeroque naturali, ad uitam uſtantandam neceſſario, carente, ſenſim paullatimque ſanguis conſumatur. Idem factum in Christo, quis eſt, qui non intelligat? ubi multum quidem effuſum eſt ſanguinis, tam ante affixionem, quam ipſo in ligno; reliqua tamen pars eius, ratione quadam ſuccellua, conſumta ipſo in corpore, dum ſerum, et liquores, uelut uitium

E talium

(۶) Vid. PETR. GALATIN. de Arcan. Catbol. Verit. L. VIII. c. XI. p. 573. ſq. ABR. GALOV. Bibl. Illuſtr. ad Ief. LX. p. 315. Clar. SOMMERI Spec. Theol. Soharicae, p. 58.

talium spiritum uehiculum, cum iis uero, spiritus ipsi uitales, exhauebantur. Manet igitur *caro*, dum igni admouetur torrenda, forma sua ac specie, *integra*, licet succus exarescat internus. Habes hic figuram Christi, in Cruce extinti, qui, in omni hoc aestu, quantuscunque fuerit ille, relinquitur integer, nullo consumto membro, per flamarum saeuitiam, omnibus tamen affectis; quo sit, ut tanto plus perpetiatur ille, in carne atque atque anima, doloris atque tormenti. Quando caro iam assa redditur, *Odorem* spirat ea dulcem et iucundum. Quidni de Christo pronunciaueris idem, qui quanto similior, per Sacrificium Expiatorium, persona est Pontificis Maximi, in Sacro Anniversario Piaculari, quantoque plus suffimenti incendit in timore Domini, (t) tanto fragrantior est Odor Mortis, Odorque Carnis eius, non tantum in naribus Dei, cui se offert Christus εἰς ὄσμην ἐνωδίας, (u) sed in uniuerso etiam, qua patet, orbe, ubi meritum fide amplexis odor ille fit ὄσμη γῶνις εἰς γῶνιν, (x) eosque dignos facit, qui ἐνωδία χρεῖσθαι queant appellari. (y) Hic Odor Mortis uel uestes perfundit Messiae, quae *fragrantissimae* sunt Vati Diuino. (z) Carne assa reddita, supereft nihil, quam ut comedatur. Quid ueris doctrinae Christi lectoribus iucundius est, quid exoptatius, *cibo* illo spirituali, quo uescuntur nutriendi ad uitam aeternam, qui, quicquid habet fragrantiae, quicquid dulcedinis, ex morte accepit Messiae. Sed, haec et alia explanatione digna latiori sunt, quam, quae a pagina capiatur. Interim, ex his omnibus, clare distinckeque licet perspicere, *carnem Agni assam* non tantum nullum aliud respectat *Supplicium*, a Messia perferendum, nisi Crucis; sed nullam etiam *maestatae* umbram *hostiae*, ad repraefendantum Sacrificium Christi Expiatorium, accommodatiorem fuisse atque efficaciorem, praeter solius imaginem Agni Paschalis. Proberetur utrumque, sed paucis. Quatuor mortis violentiae genera, sive *Suppicia*, usu introducta ab Hebreis, memorantur in TALMUD, quorum tamen nullum referri potest ad mortem in Cruce. Non *Decollatio*, quia, neque in Paschali Agno, neque in Agno Dei, caput fuit a corpore auilsum. Non *Lapidatio*; haec enim iterum neque Typo conuenit, neque Antitypo. Non *Combustio*, quia non solum Agnus, igni licet expositus, iniectus tamen in eundem non fuit, sed integer e furno extractus: sed Christus etiam, a flammis circumductis, haudquaquam quoad membra consumptus fuit

(t) IES. XI. 3. ubi significatus ex-peadatur *Hiphilicus.*

(u) EPH. V. 2.

(x) II. CORINTH. II. 16.

(y) II. CORINTH. II. 14.

(z) PS. XLV. 9.

fuit corporis. Non denique *Strangulatio*, quae fieri nequit, si uel cultro macatur quidpiam, ut Agnus, uel clavis transfigitur, ut actum cum Christo. Pergimus ad alterum. Multa quidem fuere *Sacrificia*, Deo oblata olim, quae *igne* fuerunt adolenda et comburenda, ut uis indicaretur flammorum, quae in hostiam Dei sacratissimam incurrere debebant aliquando; tam distincte tamen praefigurare *Sacrificium Christi* non potuerunt, ut Agnus Paschalis. Ea enim *Sacrificia* in altari, eiusque lignorum strue, comburebantur integra, reducta in cinerem: At Christus, qui non uidere debebat cinerem, tantum, instar Agni, torrendus fuit, assandus atque exsiccandus igne. Dignissima, quae huic aduocentur, uerba sunt, quibus pie et elegantissime Vir Magnificus, Summeque Reuerendus, Patronus meus, aetatem sancte uenerandus, BERNARD. WALTH. MARPERGERIUS, (a) de Typo disserit Crucis, in Agni huius assandi figura spectando: *Die Kinder Israel wüsten schon aus dem Fürbilde DES GEBRATENEN OSTER-LAMMES, daß in denen heißen Flammen, die ihren Erlöser vollenden würden, derselbe zwar um und um mit größester Angst, Qual Marter und Bangigkeit umgeben seyn, auch von Innen und von Außen nichts, als Gottes gerechte Eifer-Hirze, uerspüren würde; daß er aber daun doch nicht uerzehret und uernichtet, sondern ihnen nur zur Nah rung, Sättigung und Belebung, bereitet werden würde.* Quo cum loco conferantur et ea, quae distincte, de ipsa Christi Crucifixi, cum Agno Assa, comparatione, Doctissimus tradit CAMPEG. VITRINGA. (b)

### §. XVI.

**Q**uaerunt Interpretes, quae uerae sint caussae huius, *de carne affa*, praecepti, ab ipso Numine distincte promulgati, harumque appellare solent diuersas, quas strictim attingemus, breuiterque. *Prima* est, modum hunc parandi cibos omnium esse simplicissimum, cum fiat sine ulla re alia, sine condimento aromatis, sine aquae liquore, sine lebetis instrumento, solo auctu ignis, unde ceteris, compositis uidelicet ac mixtis, longe sit anteferendus. Hinc *Affum* idem, quod *solum*, ueteribus est, ac *simplex*; Sic, *Affa* uox, *Affae* tibiae. (c) *Secunda*, cibum *affum* omnium haberi antiquissimum. Ob eamque cauillam Diis suis *affam* tribuere *carnem*, aiunt, HOMERVM, VARRONEM, alias. Et certe, *Heroum* etiam ueterum

E 2

cibum

(a) *Im großen Sübn- und Sünd-Opfer des großen Verjöhu-Tages*, p. 752.

(b) *Obseru. Sacrar. L. II. c. X. p. 417. 418.*

(c) *FESTVS*; *de Verbor. Signif. u. Affa.*

*Conf. Not. DACER, ET ANTON.*

*AVGVSTINI.*

cibum fuisse, testes sunt ATHENAEVS, PLATO, SERVIUS, apud PETR. CASTELLANVM. (d) *Tertia*, carnis hanc speciem, praecelixā et ceteris, conducere maxime profecturis, cum humor et succus, non effusus, ut fieri solet in coctione, sed introrsum tractus, carneque septus et conclusus, robur addat corpori, (e) quo opus fuerit Israelitis, tantum suscepituris iter, quantum ex Aegypto in terram Canaan, via non ordinaria, sed multis extensa anfractibus, instituendum erat. Ita in primis ad Exod. XII. commentatur BONFRERIVS. *Quarto*, celerius carnem parari assam, quam elixam. Quod confirmatur exemplo quodam, de promoto ex HOMERO, eiusque Scholiasta, EVSTATHIO. At, quid magis experendum hic videbatur, quam festinatio, ipsa inlunata Lege illa, edendum esse agnum בקרcum festinatione. (f) MAIMONIDES: Festinationis causa siebat quoque Affatio, quoniam non fuit eis (Israelitis) illic otium ad cibos exquisite coquendos, et praeparandos; (g) ex translacione BVXTORFIL. Comparentur uerba Hebraeorum aliorum apud HOTTINGERVUM. (h) *Quinta*, carnis assae odorem fragrantiores esse multo, quam elixae. Factum ergo illud, aiunt, in odium Aegyptiorum, a carnibus abhorrentium agnorum et animalium omnium, uelut a re abominabili. Ita, in loco quodam, idem MAIMONIDES. *Sexta*, assam carnem cibum esse Regum, Principum et Magnatum. Israelitis igitur, egressis e seruitute, libertatique redditis, haud conuenire, ut, more uulgi, et eorum, quibus curta est supellex, edant elixa, sed sola eos decere assa. Conf. locus Hebraeorum uberior, apud HOTTINGERVUM. (i) Hae inquam caussae sunt potiores, quae non ab Hebreis adducuntur tantum, sed a nostris etiam Interpretibus doctioribus, quorum alii referunt eas solum, alii simul defendunt. Quae etiam inconuenientes habenda non sunt, licet alteram robore suo supererit altera. Verum, quoconque etiam examinentur modo, et, quotquot excogitentur aliae, tantam tamen vim non habent, quanta est in mysterio, haec tenus dilucidius exposto, quod praecepto includitur diuino, ideoque caussis allatis ab ipsis Christianis Interpretibus et Philologis, uelut sola certa et uerissima, continuo subnectitur. (k) Vnde plura differere de iis, hic non uacat. Praeterero

(d) *De Eſu Carniūm*, L.I. c. VII. p. 51.

(i) I. c. p. 23.

(e) CASTELLAN. I. c. p. 52.

(k) Conf. ABR. CALOV. Bibl. Illastr. in

(f) EXOD. XII. II.

Exod. p. 367. ANDR. RIVETI OO.

(g) More Neboch. P. III. c. 46. p. 483.

T. I. p. 892. Vener. PARENTIS

(h) *De Iure Hebræor*. p. 23.

Bibl. Exeget. ad Exod. XII. 8. SAM.

tero etiam, quae disputat IO. SPENCERVS, (l) qui inter causas huius promulgatae Legis refert simul hanc, distingui Israëlitas a gentibus, ac respici ritum illum, carnibus nescendi assū, in sacris Zabiorum ac festis diebus receptum, quem confirmat PLVTARCHI testimonio, itemque HERO-DOTI. Vbi hoc maximopere dolemus, quod ipsum mysterium, de quo sententiam piam adducit BOCHARTI Vir eruditus, pro eo habeat, quod gratis, et minore cum molestia, dici possit, quam probari uel redargui. Quae tamen cogitata Spenceeriana, ex antea dictis iam corruentia, pluribus persequi festinatio prohibet.

## §. XVII.

Dum ad finem decurrit argumenti nostri euolutio, subtexenda sunt, loco, plane ultimo, pauca, de Iudeis hodiernis. Hi, quanquam noctem Paschalem magno agunt cum gaudio, insignique, ut creditur ab ipsis, celebritate, praeceptum tamen diuinum, de edenda, hac in nocte, carne affa, quod ceteris omnibus, de praesenti Festo datis, sanctitate non inferius est, haud obseruant. Quia enim illis iam Templi deest Atrium, in quo Agnus maestandus, quia carent Altari, ubi adolendus adeps, quia nullus adest Sacerdos, hoc, in altari, qui peragat, intermittenda est tanti executio praecepti, taciteque fatendum, uerum adesse Agnum Dei, Messiam. Abest igitur in Coena Iudeorum Paschali, quod est praecipuum, et, dum Leges obseruare student diuinias, summam negligunt, iure quodam desiderandam. Quae enim hodie, in nocte Paschali, apponuntur in mensa, haec sunt: Herbae amarae, nasturtium, apium, petroselinum, raphanus maior, massa quaedam, ex flavi coloris rebus conflata, ex iuglandibus, pomis, melle, apud Orientales uero Iudeos, atque Italos, ex ficubus aridis, uis passis, caryotis, cet. uino admixto cum aqua, ut referatur aliquo modo massis illa, labore seruili calcanda in Aegypto, quemadmodum interpretantur ipsi. Apponuntur placentae tres azymae, inuolutae linteolis, ad formam massae, nullo tinctae fermento, atque ex Aegypto exportandae, ob festinationem. (m) Nihil adest affi, praeter particulam quandam carnis. Quam tamen RITTANGELIVS armum dicit ouillum fumatum, qui affus non est, KIRCHNERVS uero, particulam carnis affae, communiter a nitulo accipi solitam. Verum, quicquid hoc sit, omnino ab Agno abhorret affo. Neque

E 3

iplos

BOCHART. Hierozoic. T. I. p. 597. (m) Conf. de his SEDER HAGGADA LVND. Iud. Heiligtb. p. 993. SCHEL PESACH, ed. Rittangel. p. 92.

(l) De Legib. Hebraeor. Ritual. L. II. c. IV. p. 243. sqq.

KIRCHNERI Iud. Ceremon. p. 92.

ipso Iudeos *tostum* uel *assum* agnoscere in Paschate, ex loco insigni probatur MAIMONIDIS, (n) quem tantum ex uestione LVD. DE COMPIEGNE ascribam: Olim in Nocte Paschatis quaerebant liberi: Cur ceteris noctibus carne uescimur tosta, cocta, elixa, hac uero solam edimus Tostam. Sed pergit: Hoc autem tempore, quoniam Sacrificio caremus, nemo dixerit: Hac uero solam edimus Tostam. Abrogata igitur est caro *assa Paschalis*, et quidem, quod diuinari facile potest, inde a temporibus Templi excisi. Seruato-rem enim nostrum sanctissimum cum discipulis, in Paschate *sanguinem*, Agnum edisse *assum*, dubio caret. Namque eo tempore, quo Paschali uescabantur Agno Iudei, Lex haec diuina ab ipso obseruata Christo fuit, qui Sacramentum Agni Paschalis eo usque retinuit, donec morte sua auferret, corporique cederet umbra. Et quid sibi uolunt phrases, ἐτομάζει τὸ Πάσχα, (o) Φαγεῖν τὸ Πάσχα, (p) nisi ad ipsum respiciatur Agnum. Si dicas, Πάσχα et Πόθη Paschale etiam notare *Epulum*, non negamus: Sed, quid, si opponamus tibi τὸ θύειν τὸ Πάσχα, (q) de quo ait Christus. Sane, *maestatio* haec non pertinet ad conuiuum quoddam, placentis, raphano, herbis, instrustum, sed ad ipsam sanguinis animantis effusionem. Itaque uere Paschate uescitur Seruator uespere. Inter errores enim pictorum, quos collegerunt PHIL. ROHRIVS, FABRICIVS, HILSCHERVS, IVNGERVS, alii, retuleris omnino pieturam quandam singularem, *Susati*, apud Westphalos, in Comitatu Marchico, reperiundam, ubi in Templi cuiusdam fenestris exhibetur Christus, Coenam celebrans ultimam, ita tamen, ut non consumatur, consueto more, Agnus, sed *Perna fumosa*, quae, a Westphalis parata, magni omnino putatur nominis, ceterisque creditur antecellere omnibus. Quo sit, ut et peregrinantibus, ioci caussa, Agnus hic Susatenium Paschalis soleat monstrari. Verum, an putas, Christum, cum conuiuii sociis, qui omnes erant Iudei, porcina non abstinuisse carne, seuero prohibita diuino interdicto, absque omni distinctione, siue *assa* sit, siue *cocta*, siue *fumosa*. Ergo perstamus in sententia, de *Agno*, a Christo consumto, eoque *asso*. Mansit etiam haec caro *assa* sine controuersia inter Iudeos, Coenae Dominicane institutionem parum curantes, usque ad ruinam Templi, quo ex-*ciso*, Atrium destructum fuerat et Altare, ipsiusque ideo Paschatis usus cef-*sauit*. Faxit Deus O. M. ut, uel huius absentia Typi, de sua conuicti per-*tinacia*, Iudaci, ad frugem redeuntes, uerum illum Dei Agnum, qui aestum irae diuinae pro nobis pertulit, tandem aliquando fide amplectantur.

VIRO

(n) *De Paschate, cap. VIII. §. 2. 3.*

(p) MATTH. XXVI. 17. MARC. XIV. 14.

(o) MATTH. XXVI. 19.

(q) MARC. XIV. 12. LVC. XXII. 7.

NB. p. 14. l. 30. pro, duo, lege tria. p. 23. l. 24. lege περὶ αὐτῶν των.

VIRO NOBILISSIMO,  
IOANNI FRIDERICO GREIBZIGERO,  
S. S. THEOLOGIAE ET PHILOLOGIAE ITEMQUE  
PHILOSOPHIAE CULTORI,  
DE ASSATIONE TYPICA AGNI PASCHALIS  
DISPUTANTI;

S. F. D.

HENR. IAC. VAN BASHVYSEN,  
S. S. THEOL. D. EIVSQVE ET LINGVARVM ORIENT. ATQVE HISTORIARVM  
IN GYMNASIO ACADEMICO ANHALTINO PROFESSOR. ORD. PRAEDICTI GYMNASII RECTOR  
ET SCHOLAE SENATORIAE INSPECTOR, REGIARVM SOCIETATVM, BEROLINENSIS  
DE SCIENTIA ET ANGLICANAE DE PROPAGANDA FIDE,  
SOCIVS.

A quo tempore Musis nostris, bene praeparatus, italedixisti, cuius rei usum  
iam exploratissimum habes; Vtnam Tuum exemplum sequentur o-  
mnes, nec tudes ad Academias contendenter, ut magnos Doctores cum  
fructu audire possent: Saepius de Te Tuisque studiis sollicitus fui, hoc seculo,  
quo plures malis perduntur consiliis, quam bonis aurem praebent. Tibi enim  
Auctor eram, studio Theologico perpetuo adiungendi studium Linguarum et  
Historiarum. Nec una me spes lactauit, Te aurem meis praebiturum monitis,  
cum unus post alterum aduolare nuntiis, Te in palestra Linguarum et His-  
toriarum assidue iersari. Fructus enim de arbore testantur. Hos prodis admodum  
luculentos, cum Praefide Viro inter Literatos cognitissimo, Doctissimo Claris-  
simoque, Dn. CAROLO HENRICO ZEIBICHIO, Philosophiae Mag. et Facult. Philosoph.  
Afflorem, Magni Patris Filio dignissimo, doce differis, de Mysterio Assationis Agni  
Paschalis: Thematne prolixissimi usus. Quid enim est magis, non dico curioso,  
sed fideli oculo, non obiter et cursorie, uerum attente et summa cum pietate;  
contemplandum, quam simplicissimum illud Theologiae piscatoria, ut uir do-  
ctissimus dicere solebat, axioma, Io. I. 29. Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccatum  
mundi! Qui hoc nouit, plus scit, quam mille aridi doctores scholastici, quorum  
totum acumen consistebat in mera uerborum pugna, studio non ueritatis, sed  
vanae victoriae. Secus agunt Theologi illi, qui Philosophia et Philologia, tan-  
quam duobus oculis, armati, Mysteria sanctissima S. S. Theologiae intuentur. Illis  
certissimum est, omnia Theologum discere debere, quae Theologiam, non so-  
lum fundare, sed etiam illustrate soleant. Quales esse Hebraeorum Antiquitates,  
uel solus fatis inter Pontificios declarauit VILLALPANDVS, ne de CORNELIO A LA-  
PIDE, ALOYSIOS NOVARINO, aliisque loquar: uti Ecclesia Augustanae Confessionis  
VARENIO, STEVGTIOS, DIETERICOS, TARNOVIOS, ostendere potest: Et coetus Refor-  
matorum, de BOCHARTO, COCCIO, ALTINGIO, BRAVNIO, VITRINGA, meritò gloriari  
solet. Ad Antiquitates autem Hebraeorum, sine cognitione utriusque Talmudis et  
Maimonidæ, uix dari aditum, pro me fatis probarunt MAYERI, MEYERI, EDZARDI,  
DASSOVN, et alii rerum nostrarum Atlantes, homines, non numero, sed, ut sapien-  
tes solent, argumentorum pondere iudicandi. Ita enim rationi conuenienter  
loquitur Romanorum Consulum non infimus, Oratorum maximus, Lib. I. de na-  
tura deorum: Non tam auctorum myriades in disputando, quam momenta rationis  
quaerenda sunt. Quid enim homines sine argumentis? Larua, fucus, praeterea que-


nihil,

nihil. Ipsum Tuum Thēma satis ostendit, sine dictis līmpidissimis, in Antiquitatibus facis fundatis, uix aliquid solidi in difficultioribus S. S. locis illustrandis proferri posse. Quid dicit TALMYD, Tractatu de Paschate Cap. V. in ipsa Misna, §. 9. annon docet, suspendi Agnum Paschalem. Verba repete nolo, quia T. II. Misna optimi dum uiueret amici mei, Cl. SVRENHEVSI p. 159. legi possunt; Latina ueste induit, Clariora sunt, quae eadem Misna habet cap. VII. §. I. Quomodo assant Pascha? Afferunt uero e ligno mali granati, infigentes illud ori (Agnū) usque ad nates, et ponentes crura et intestina illius intra eum. Hic habes uocem טענו, distinguendam ab altera אימוראו, (Emourau) quae occurrit cap. V. §. 10. quamque optimus SVRENHEVSI meus uertit: *adipes illius*. Clarius SAYBERTVS, doctiss. de Sacrificiis tractatu, et ipse R. MOSCHE, Fil. MAIMONIDIS ad Misnam, p. 154. dicti Corp. Iuris Iudaici, orbi eruditio in compendio a dicto III. Gymnatis Professore dati: Ex quo explicandus est Cl. LVNDIVS, cum de talibus agit, aut falsum Tibi finges conceptum tractationis Intestinorum Agni Paschalis. Tantum ualeat euoluere fontes et riuelos ad fontes examinare: Quod dudum ex acutissimis Doctoribus Tuis percepisti. Crucem Christi qui in his non uidet, coactus mihi est, aut pertinax: Quales pertinaces describit Cl. WERENFELSIUS in Tr. lectu dignissimo, de Logomachiis eruditorum. Audiatur, quid hoc de mysterio dicat IVST. MARTYR, in Dial. cum Tryphone Iudeo, p. m. 259. B. Nonne Agnus mortuus consideratur in his: Deus incipiens facere foedus cum illo, (sc. Messia) sic cum alloquutus est: Illi, quorun iniquitates sunt absconditae, imponent tibi ferreum iugum, quo te similem facient iuuucae. Propter eorum iniquitates lingua tua adbaerbit (prae angore) palato tuo. An talia tibi placent? Respondeat Messias: fortassis hae afflictiones ac moeres durabunt per multis annos. Deus reponit, se decreuisse, ipsum talia passurum per integrum annorum hebdomadem. Sed, si non consentiat, statim illa ablaturum. Regerit Messias: Se quidem illa liberetur subiturum, etc. Quae uerba ipse legi in Pefkita, ex qua illa sumvit et in cap. XIV. Tr. de Arca Fœd. transtulit Cl. BVXTORFIVS: Similia dabunt רוכך וְאַבְקָת et ad illum Tr. utiliss. ei, qui perspectam uult habere illam Theologie Iudaicæ partim, quam Kabbalam ueram uocare soleo, HENRICVS HVLSIVS, Theologus Batauus norilimus. Nec minus Iudeos amatores Theologiae mysticae, (quos supra Kabbalistas uocauit) subolsecisse in his mysteriis, quam nos, certiorata scientia, ut PAVILLVS loquitur, non solum nouimus, sed etiam pernoiuimus, facile probare possem ex BECHAO, R. MOS. NACHMANIDE (cuius חורחה רם cur impressum neget Clarissimus, dum uiueret, amicissimus meus, IO. CHRISTOPH. WOLFIUS in Bibl. Hebraea P. II. p. 1450. nescio, cum ipse eum impressum nitide possideam, ederemque, si occasio daretur, cum מִתְמֻשֵּׁשׁ תְּהִלָּם et saepe obtuli Bibliopolis, non minus, quam Synt. Antiqu. Heb. maius, ut ostenderem, me non esse liberalem in promissis, et auarum in executione, ut putabant iniqui rerum optimarum, quis inuidi, Censores. Nam hic expectandum. Si enim Lexico suo Talm. XXX. annos impedit Magnus BVXTORFIVS, cur me poenitereet hos saepius lambendo meliores formare et exornare foetus? R. MENACHEM, alias o. Sed abrumpero cogor, postquam definire uolu; in gratulationibus operis bene scripti, et optime defensi, sub auspiciis Venerandi mihi Praesidis Tui. Perge ita amare fontes, et eris Patriæ utilis, Stipendiis et Patronum praefidio et auxilio merito iuuandus. Vale et faue.

Scripsi Seruestae a. d. 13. Mai. 1742. in aedibus Gymn.  
Anhalt.







94 A 7380




June 1999 VD 17

JF



**Farbkarte #13**



B.I.G

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

centimetres

MYSTERIUM  
CARNIS ASSAE,  
IN  
NOCTE PASCHATIS PRIMA  
COMEDENDAE,  
AD PRAESRIPTVM DIVINVM,  
EX O.D. XII, 8, 9.  
PRAESIDE  
CAROLO HENR. ZEIBICHIUS,  
ARTIVM MAG. ATQVE ORDINIS PHILOSOPHICI  
ASSESSORE,  
DIE XX. IVN. M DCC XLII.  
IN AVDITORIO MAIORI  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,  
DISPVNTANDO EXCVTIET  
IOANNES FRIDER. GREIBZIGER,  
SERVESTA- ANHALTINVS,  
SS. LL. CVLT.  
VITEMBERGAE,  
PRELO SCHLOMACHIANO.